JOANN. SAM. GABRIEL

Nobilis Sempronio Hungari

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE PLICA POLONICA,

QUAM

Annuente Inclyta

FACULTATE MEDICA

IN CELEBERRIMA AC REGIA UNIVERSITATE

BUDENSI

Pro ſummis in Medicina honoribus, Privilegiisque Doctoralibus per Regiam Univerſitatem Budenſem conferri ſolitis, legitime impetrandis

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

ſubmittit.

DISPUTABITUR IN UNIVERSITATIS

PALATIO MAJORE

Die Menſis 1780.

Typis Catharinæ Landerer, Viduæ.

DEFINITIO.

PLICA *Polonica* eſt præternaturalis crinium in quacunque crinita corporis animalis parte in funiculos vel pannos intricatio. Nomina huic morbo ſunt varia a variis cum ſcriptoribus tum populis, queis innotuit hoc malum, indita; etenim τριχωμα, ῥοπάλωσις Græcis, Latinis *plica*, *morbus cirrorum*, *tricæ incuborum*, Polonis *Koltun*, *Skrzot*, *Gwozdziec*, *Gozdzier*, audit; Germanis vero *Wirblock*, *Wichſelzopf*, *Weichſelzopf*, *Marzopf*, *Judenzopf*, *Schrottlinszopf*, *Marenflechten*, *Marenwirkung*, *Marenlocken* nuncupatur, uti et *Wein-Brandweinwichtel*.

SPECIES

Hujus morbi duæ præſertim concipi poſſunt, videlicet dum plica vel

I. OCCULTA adhuc eſt, ſed materia morbi actuoſa jam reddita ante intricationem crinium varias partes laceſſendo varios morbos ſymptomaticos creat, quos inferius (*a*) videbimus: vel vero jam

II. EVOLUTA, id eſt, ubi jam crines ſibi præternaturaliter ſunt implexi, nulla arte aut induſtria humana retexendi. Ipſa vero hæc intricatio binis potiſſimum modis confieri obſervatur, a queis rurſus plica evoluta jam bifariam dividitur, eſtque

1. *Cirroſa* ſeu plica *mas*, dum nimirum unus vel plures cirri contorti e parte crinita inſtar caudarum glirium pendent, variæ longitudinis, & craſſitiei (*b*), qualem in effigie videre eſt in F. RUYSCHII Theſ. 4. Tab. 1. fig. 3. alia vero eſt

2. *Villoſa* ſeu plica *femina*, dum omnes fere crines in ſe mutuo intexti ac intricati ſpeciem pilei villoſi ſeu mitræ, vel panni cujusdam rigidi, effor-

---

(*a*) Vide ſymptomata prophaſeos.
(*b*) Vide ſymptom. geneſeos A. n. 2.

mant (*a*). „ Talem . . . conſpexit s.
„ SCHULTZIUS (*b*) in . . . nobili Pruſſo,
„ dein in Judæo quodam ſtaturæ procе-
„ ræ . . . horribilem mitram retro pen-
„ dentem, repræſentantem „. Subinde
etiam plures adſunt: SAUVAGES (*c*)
tres vidit in capite centurionis Galli e
Polonia, ubi 20 annos miles erat, morbumque contraxit, reducis, quas a multis retro annis et ſine incommodo & cum cura ad mortem usque ſeptuagenarius tulit. Radix autem pilorum plicæ levi preſſione dolebat. His præmiſſis

SYMPTOMATA

Morbi ante omnia alia diligenter expendere oportebit, priusquam ad cauſarum ſcrutinium fiat tranſitus; ut quarum ex illis cognitis et veritas et numerus longe evidentius erui queat. Quoniam vero plicæ geneſim numeroſa et graviſſima ſymptomata præcedere obſervantur ut

(*a*) Ibidem n. 3.
(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 1. an. 6. obſ. 138. pag. 199.
(*c*) Noſol. meth. T. 3. P. 2. Cl. 10. Ord. 7. art. 35. p. m. 514. et. n. 3.

plurimum, non abs re omnis morbi hujus decursus in bina stadia dispesci recte poterit, quorum prius prophasin, posterius genesim plicæ continebit, seu in primo plicæ occultæ, evolutæ in altero phænomena enarrare est animus.

I. PROPHASEOS sive *occultæ plicæ* alias nulla sunt, velut in binis ANHORNII (*a*) & STABELII (*b*) ægris (quod tamen rarius), alias vero & numero & vehementia, et diuturnitate, tanta sunt symptomata, ut merito eos rideas, qui plicam Polonicam morbum esse inficias ivere, idque usque adeo, ut non sit morbus, qui velut symptoma plicæ præire non sit visus. Horum tamen morborum symptomaticorum alii rariores sunt, alii communiores, ut raro unquam a prophasi absint; utrosque suis locis videbimus. In præsenti vero stadii hujus diuturnitas symptomatumque varietas, ac magnitudo, veniunt considerandæ: atque a postremis binis ordiemur. Etenim

A. *Varietas symptomatum* plicæ tanta est, quanta in paucis aliis morbis: oriuntur quippe

(*a*) Vide prognos. n. 3.
(*b*) Vide curat. chir. n. 3.

1. *Dolores* variarum partium, nempe a) *Cephalalgia* atrox cum *sudore viscido* crinium noctu molesto, copiosisque *furfuribus* locum plicæ, ubi eruptura est, conspurcantibus: ac rarus est æger, ut per decursum casuum videre erit, cui hoc symptoma parcat. Atrocissimi sane fuere dolores capitis cum palpitatione cordis, ac pectoris suffocatione &c. in generosa matrona D. FISCHERI (*a*).

b) *Arthritis* fixa aut vaga (constans, si ullum aliud, hocce in morbo symptoma), eaque non raro crudelissima, quandoquidem, ut L. STARNIGELIUS (*b*) scripsit „ magno omnium malo magno„ que cruciatu divagatur: infringit ossa, „ laxat artus, vertebras eorum infestat, „ membra conglobat, ac retorquet, & „ gibbos efficit . . . caput, pedes, ma„ nus, omnes artus, omnes juncturas, „ omnes corporis partes ita exagitat „. Senserunt id in primis ægri FISCHERI (*c*), GEHEMÆ (*d*), GOHLII (*e*),

---

(*a*) Annal. Wratisl. Tent. 14. A. 1720. Octob. cl. 2. art. 3. §. 2. p. 402.
(*b*) Vide ejus epist. ad calcem diss. n. 2. 3.
(*c*) Vide infra n. 9. et Geneseos sympt. B.
(*d*) Vide infra n. 9.
(*e*) Vide curat. pharm. n. 3. a).

KORDALYII (*a*) LENTILII (*b*), S. SCHULTZII (*c*), STABELII (*d*), ac VATERI (*e*). Hinc ſæpe fit, ut nonnulli ſe *podagra* protopathica laborare exiſtiment, velut in ægris NEIFELDII (*f*) et in Annal. Wratisl. (*g*) eſt obſervatum.

c) *Pleuritis*, quam in ſuppurationem verſam experta eſt STABELII (*h*) femina: aut dolor ſub ſterno, de quo HERMANNUS (*i*) „ præter nota ſig-„ na (ait)... certiſſimum eſt imminen-„ tis plicæ indicium, in ſexu præſertim „ ſequiori, dolor lancinans ſub ſterno, „ ex obſervatione ERNDTELII, quam „ confirmat experientia „.

d) *Cardialgia*, *colica:* hanc vir HERMANNI (*k*), illam S. SCHUL-

---

(*a*) Vide prognoſ. n 4. B b).
(*b*) Vide ſympt geneſeos A. N. 2.
(*c*) Vide infra n. 6. 10.
(*d*) Vide curat. chir. n. 2. b). hiſt. 1.
(*e*) Vide ſympt. geneſeos A. n. 2.
(*f*) Ibidem B.
(*g*) Vide cur. chir. n 3.
(*h*) Vide cur. chir. n. 3. hiſt. 8.
(*i*) Primit. phyſ. med. Polon. Vol. 1. pag. 179.
(*k*) Vide infra n. 7.

TZII (*a*) Canonicus cum amaurosi est perpessus.

2. *Tumores* varii generis, ut

a) *Oedemata* pedum, quæ KORDALYII (*b*) vir sustinuit.

b) *Glandularum* infarctus, quo juvenis GOHLII (*c*) sub axillis & in inguinibus laboravit.

c) *Viscerum* abdominalium inflatio. Sic lienis tumorem SILVATICUS (*d*) suo in ægro reperit.

d) *Tubercula cutanea*, qualia in ANHORNII (*e*) & GERBEZII (*f*) ægris occurrere.

e) *Nodi*, *tophi* arthritici in iis, quos simul arthritis vehementior detinet, veluti ægris FISCHERI (*g*) ac STABELII (*h*) accidit.

3. *Ulcera* pessima oris, narium, viscerum, &c. qualibus plicosi in Anna-

(*a*) Ibid. n. 9.
(*b*) Vide progn. n. 4. B. b).
(*c*) Vide cur. pharm. n. 3. a).
(*d*) Vide infra n. 7.
(*e*) Vide progn. n. 3.
(*f*) Vide sympt. geneseos A. n. 1. a).
(*g*) Vide infra n. 9.
(*h*) Vide cur. chir. n. 2. b). hist. 1.

lib. Wratisl. (*a*) FISCHERO (*b*), SILVATICO (*c*), ac STABELIO (*d*), mulctati fuere. D. FISCHERUS (*e*) observavit ejusmodi „ erosiones variarum „ partium, præcipue faucium, ut scelotyrbem PLINII esse autumares... uti „ .. in generoso quodam Domino in „ Scepusiensi Comitatu, in oppido Ó-falva dicto, ut & uvulam eroderet corroderetque in integrum, atque ulcera pedum mali moris „.

4. *Febres* variæ indolis: *acutam continuam* præter HERMANNUM (*f*) S. SCHULTZ (*g*) quoque observatam refert „ vivit (inquiens)... in hunc usque diem Sp. I. SACHS scabinus suburbanus jam 60 annos supergressus, „ qui ante plures annos morbo hoc correptus gravissime decumbebat, &... „ ut morbo aliquo venenato cum febre „ continua laborans curatus est; medi-

---

(*a*) Vide cur. chir. n. 3. (p. 35.)
(*b*) Vide sympt. geneseos B.
(*c*) Vide infra n. 7.
(*d*) Vide cur. chir. n. 2. b). hist. I.
(*e*) l. c. ad n. I. a)
(*f*) Vide infra n. 5.
(*g*) Misc. nat. cur. dec. I. ann. 6. obs. 138. p. 198.

„ camentis autem nihil proficientibus „ poſt cirrorum aliquot explicationem „ convaluit, quorum adhuc duos ha- „ bet, reliqui deciderunt „. *Intermit-tentes* quoque ſunt viſæ, quas binis in matronis idem hic Auctor obſervavit „ e quibus prima matrona tertia quaque „ die paroxyſmum ad modum febris 3*tiæ* „ cum horrore & calore, doloribusque „ capitis & homoplatarum per aliquot „ ſeptimanas perpeſſa eſt, cujus termi- „ nus erat ſudor copioſus totius corpo- „ ris, uſque dum materia vitioſa ad cu- „ tem capitis delata capillos complica- „ vit, & morbo finem dedit (*a*) „. Al-tera (*b*) perinde „ pro febricitante per „ ſemeſtre habebatur, utpote tertia qua- „ vis die rigore & horrore febrili, at- „ que calore ſuccedente, repentibus „. Intermittens quotidiana virum in Anna-lib. Wratisl. (*c*) detinuit, uſque dum plica evoluta eſt.

5. *Deliria* vel acuta vel chronica. Acuti delirii caſum præbet J. E. HER-

(*a*) Ibidem p. 197.
(*b*) Ibidem p. 198.
(*c*) Vide ſympt. geneſeos B.

MANNUS (*a*) in illuſtri matrona 25 annor. ſanguinea, ter puerpera, quæ poſt animi motus in febrem continuam lapſa, nec V*æ* S*e* nec aliis remediis proficientibus delirio, quotidie ita creſcente laborare cœpit, ut tres viri eam vix cohiberent. Data emulſio camphorata cochleatim ſumenda; ſed noctu omni una vice per errorem hauſta (erant autem ℥viij) delirium uſque adeo poſt ½ h. increvit ut laqueis vincienda fuerit: lapſa autem ſeſqui tertia hora quieta, muſſitabat, bihorio poſt ſudor uberrimus horam durans erupit, tumque ægra ſui compos pruritum capitis queſta ſimul hinc inde crines in cirros intricari ſenſit: quo viſo exhibitis blandis diaphoreticis ſenſim prorſus convaluit. Meminit perinde VICAT (*b*) feminæ 30. annor. ſanæ ac ter partu defunctæ, quæ die quadam in furorem cum febre continua lapſa non prius inde libera evaſit, quam poſt prævium vehementem capitis pruritum ac dolorem plica erupit. Sed VICAT plures HERMANNI caſus, nomi-

---

(*a*) Primit. phyſ. med. Polon. Vol. I. obſ. 14. Cæſ. 2. p. 171.

(*b*) Mem. ſur. la plique Polon. p. 44.

ne ejus ſuppreſſo, exſcripſiſſe videtur, ut paſſim alibi etiam ſumus viſuri. Maniam vero & FISCHERUS (*a*) in Satrapa Kesmarkienſi, & STABEL (*b*) binis in feminis vidit.

6. *Convulſiones, ſpaſmi.* Contracturas VATERI (*c*) mulier, clonicas digitorum convulſiones æger SILVATICI (*d*), easdemque in artubus GEHEMÆ (*e*) Scytha ſuſtinuit. Perinde apud S. SCHULTZIUM (*f*). „ Ill. D. Vena-
„ tor Sannocenſis, vir vix 30. an-
„ nos ſupergreſſus præter calorem præ-
„ ternaturalem dolores articulorum &
„ ſudorem nunquam intermittentem,
„ etiam convulſivos motus cum dolore
„ capitis incipientes percipiebat „.

7. *Paralyſis* perfecta vel imperfecta. Sic in Ill. viro B. SILVATICUS (*g*) cum capitis plica ſemiparalyſin artuum inferiorum, digitorum, manuum convulſio-

(*a*) l. c. ad n. 1. a).
(*b*) Vide cur. chir. n. 2. b) hiſt. 5. n. 3. hiſt. 4.
(*c*) Vide ſympt. geneſeos A. n. 2.
(*d*) Vide num. ſeq.
(*e*) Vide infra n. 9.
(*f*) l. c. p. 197.
(*g*) Conſ. & reſp. med. cent. 1. n. 19.

nes, gingivarum erosiones, capitis ulcera, lienisque tumorem observavit. Utrorumque vero artuum paralyseos casum Annales Wratisl. (*a*) suppeditant: Colonellus K. Borussus in Litthvania vix annum moratus ægrotare occepit, ac per trimestre, manibus, pedibusque paralyticus jacuit; postea vero evolutis plicis melius habuit, fulcrisque innixus ambulare cœpit. Perinde G. E. HERMANNUS (*b*) curandum habuit Lithvanum 36 annor. robusto ac turgido corpore, diætæ minus observantem, qui post atrocia tormina in cruentam incidit diarrhœam 14 dierum, cui sinistræ manus torpor, inquies nocturna, & horrores febriles intercurrentes accessere: tum latus lævum immobile fere evasit cum aliqua obauditione. Frustra per 5 dies remedia usurpata bezoartica, alvi fluxum imminuentia & antifebrilia: namque successit paralysis utriusque lateris cum spinæ dorsi dolore, baryecoiamque tinnitus etiam aurium graviorem fecit, nisi quod alvus ad naturalem redierit.

(*a*) Tent. 6. A. 1718. cl. 4. art. 14. §. 2. p. 1760.

(*b*) l c. cas. 1. p. 168.

Poſtea vero quam 5 hebdomadum ſpatio curatio ad plicæ eruptionem eſt inſtituta, in occipite demum plica prodiens ſenſim ulnam longa ac 3 pollices craſſa (nec ſponte poſtea delapſa, nec arte ablata) abolitis omnibus malis priſtinam reddidit viro ſanitatem.

8. *Vacuationes* variæ, ut

a) *Alvi fluxus*, qualem diarrhœam cruentam paulo ante (*a*) vidimus. Apud VICAT (*b*) quoque vir poſt prægreſſos vehementes ventris dolores in inſignem incidit diarrhœam cruentam, quam poſt 14 dies ſequebatur paralyſis brachiorum, acuti dorſi dolores, auriumque ſuſurrus cum baryecoia: quæ non niſi plica oborta deſiere. Hic quoque caſus ab illo HERMANNI citato diverſus eſſe haud videtur. S. SCHULTZII (*c*) „ juvenis „ ... morbo iſto oppreſſus primum hor„ rorem percepit, ſequente mox calo„ re p. n. continuo, concomitantibus „ doloribus capitis, artuum, ſudoribus „ indeſinentibus fœtidis, dejectionibus „ copioſis aqueis, & tumore pedum,

---

(*a*) n. præced.
(*b*) l. c. p. 45.
(*c*) l. c. p. 197.

„ donec natura critice ad cutem capitis „ & pilos ejusdem humores vitiosos „ transtulerit, cirrique illi capillorum „ mox omnes deciderint, sanitatemque „ integram ægro attulerint „. Puella pariter STABELII (*a*) dysenteriam est experta.

b) *Hæmorrhagiæ.* Chirurgus STABELII (*b*) gravem hæmoptoen ante plicæ evolutionem sustinuit.

9. *Oculorum morbi*, ut dolores, ophthalmia, amaurosis, &c. Vidit J. A. GEHEMA (*c*) Scytham cephalalgia insigni, doloreque oculorum quasi acubus compunctorum, qui clausi protuberabant, crebris convulsionibus, arthritideque laborantem, donec 18vo die quinque plicæ 9 digitos longæ erupissent. D. FISCHERI (*d*) femina, cujus avus ac mater plicam passi, post repetentem ex incertis intervallis 2. 3^{ve} annorum arthritidem, sine ullo tamen tumore & phlegmone, in continuum capitis dolo-

---

(*a*) Vide cur. chir. n. 2. b) hist. 10.

(*b*) Ibidem hist. 9.

(*c*) Liter. ad C. BONTOEKE de Plica Polonica p. 13.

(*d*) BŮCHNER miscell. phys. med. A. 1728. Octobr. cl. 2. art. 2. p. 1368.

rem incidit, qui ophthalmiam ad varia collyria pertinacem post se traxit. Unde vetitis omnibus topicis adversus ophthalmiam omnis curatio ad plicæ latentis evolutionem instituta demum plicam elicuit: quo facto ægra ad pristinam rediit sanitatem. Lippitudinem quoque & LENTILIUS (*a*) & STABEL (*b*) suis in ægris observarunt. Nonnunquam vero tanta morbi vis oculos invadit, ut omnem adimat visum. D. FISCHERI (*c*) vir nobilis præter cephalalgiam, artuum dolores, omnesque articulos tumidos, nonnullorumque membrorum situm mutatum adeo, ut inutilia essent ad suas functiones peragendas, etiam omni visu privatus est. Nihilo tamen minus ubi curatione consveta adhibita plica prorupit, omnia mala evanuere. Sic etiam S. SCHULTZ (*d*) refert Canonicum quemdam atrocissima cardialgia, & per aliquot hebdomadas oculorum caligine laborasse, quæ dein in totalem desiit cœcitatem; sed ut primum plicæ erupere,

---

(*a*) Vide sympt. geneseos A n. 2.
(*b*) Vide cur. chir. n. 2 b) hist. 7.
(*c*) l. c. Maji cl. 2. art. 3. p 1032, sq.
(*d*) l. c. p. 198. sq.

illico & cardialgia & cœcitas desiit. Erupere a dextra lævaque capitis parte plicæ mares, in occipite autem plica femina. Superstitionem vero sapit, quod huic adnexum est casui: ante plicarum evolutionem svasisse ægro Polonum quemdam Medicum, ut ceram virgineam oculis applicaret, cum eo prognostico, si post aliquot horas in cera crines apparuerint, illud certissimum plicæ signum fore, quod eventus postea confirmavit (utique ex accidente). Perinde E. J. NEIFELDII (*a*) septuagenarius, olim laboribus militiæ, diætæ pravæ, vini crematique abusui, ac iræ deditus, sanus tamen, postea quietius vivens articulorum contraxit dolores, VæSni tamen salubrique motui sæpius cedentes, donec demum subito post prægressos tensivos verticis ac palpebrarum dolores in prandio visum prorsus amisit, qui etsi ad interna resolventia, cephalica, rheum, pediluvia, litumque verticis ac palpebrarum balsamo vitæ HOFFM. sensim iterum rediit; doloribus articulorum nihilominus recursantibus, post aliquot men-

(*a*) Primit. physſ. Med. Polon. Vol. 1. obs. 15. p. 187. seqq.

ses

ſes cœcitas una cum verticis palpebrarumque dolore denuo revertit, prioribus remediis jam ex toto neutiquam cedens, ſed viſio jam clarior jam obſcurior fiebat. Tandem febris emicuit cum urina rubra ſine ſedimento, ſiti, diarrhœa, ſiccitate, anxietate, deliriis, & artuum, præſertim vero ſcapularum, cervicis, occipitisque doloribus, ad remedia conſveta rebellis; donec poſt circ. 8 dies ex inſperato plica evoluta cum amauroſin tum cetera omnia ſymptomata prorſus profligavit.

10. *Pica & phantaſia depravata*; unde vulgatum Polonis adagium: *ſub pica latet plica.* „ In quibusdam, inquit FISCHERUS (*a*), accedit inſolitum ciborum & potionum diverſarum deſiderium, & quidem tale, quod ſi non illico expetita exhibeantur, ſtatim ſubſequatur ſyndrome ſymptomatum, uti id in honeſta alias matrona .... notavi, quæ ubi vinum expeteret, & non ſtatim exhibebatur, paroxyſmus eandem illico invadebat: & maximum atque notatu dignum erat, in

(*a*) l. c. Tent. 14. A. 1720. Oct. cl. 2. art. 3. §. 3. p. 402. ſeqq.

„ mediis cruciatibus ubi eidem vinum
„ in ſ. q. ad ebrietatem uſque dabatur,
„ tunc una cum patiente & dolores ob-
„ dormiverunt. Talem etiam obſerva-
„ vi caſum in potatore . . . cremati ſi-
„ ve aquarum, quas vitæ appellant,
„ ſtrenuo. Atque hujus generis plica
„ Scepuſienſibus dicitur der Wein oder
„ Brandwein-Wichtel „. Similia quo-
que SCHULTZIUS (a) memorat „ pro-
„ prium (inquiens) huic morbo eſt apud
„ plurimos eo laborantes, ut ad hanc
„ vel illam rem in cibo & potu magis
„ inclinent „ quemadmodum quidam
„ Colonellus vir plus quam ſexagena-
„ rius, robuſtus tamen, ante pilorum
„ contorſionem tantum artuum dolori-
„ bus divexabatur, quos ſemper hauſtu
„ vini generoſi Ungarici, ſudorem pro-
„ moventis, diſpellebat; forſan hoc ex
„ depravato quodam appetitu ad vinum
„ factum . . . ceu ille ſæpe appetitu in-
„ ſolito ad vinum ſublimatum, & qui-
„ dem bene aromatiſatum, infeſtabatur,
„ quo ſi potiri potuit, morbi ſævitia
„ remittebat, ſi non, peſſime ſe habe-
„ bat „.

(a) l. c. p. 198.

11. *Ungues recurvi, ſcabri, lividi, corrupti.* „ Nec crines tantum hoc ma-
„ lo affectis, inquit FISCHERUS (*a*),
„ ſed & ungues, non tam in manibus,
„ quam etiam in pedibus, corpus de-
„ honeſtabant deturpabantque, quales
„ perſonas ex utroque ſexu & variæ æ-
„ tatis novi ſufficientes „. Diſertius deformitatem hanc S. SCHULTZIUS (*b*) depingit: „ ungues (ajens) inſi-
„ mul, præſertim in pollicibus pedum
„ ſcabri, longi, & inſtar cornu hircini
„ nigri evadunt, atque hoc tantum iis,
„ qui hoc morbo graviter laborant, ob-
„ tingit; quibusdam etiam plane deci-
„ dunt, & poſt explicationem plicæ re-
„ naſcuntur, quod mihi oretenus retu-
„ lit Ill. Comitiſſa á DÖNHOF . . . ſe
„ in propriis digitis obſervaſſe „. Eandem in rem teſtis eſt ruſtica STABELLII (*c*). Atque hæc de ſymptomatum varietate ac vehementia dicta ſufficient; infinitus eſſem, ſi omnia huc transferrem: reſtat, ut paucis conſideretur ſtadii primi ſeu prophaſeos

(*a*) l. c. p. 403.
(*b*) l. c. p. 194.
(*c*) Vide cur. chir. n. 2. b) hiſt. 1.

B. *Diuturnitas*, quæ in variis ægris eſt varia adeo, ut nulli temporis menſuræ ſubjici queat. Cito enim in aliis plica evolvitur, in aliis fero: quod an vi vitæ, aut tubulorum capillarium, materiæve in eos pellendæ, &c. ineptitudini tribuendum ſit, nolim diſcutere. In Scytha GEHEMÆ (*a*) dies 18 prophaſis duravit, annum vero in Colonello, cujus Annales Wratisl. (*b*) meminire; in FISCHERI (*c*) fęmina 2 vel 3 annis hæc ſcena manſit.

II. GENESEOS vero ſeu *evolutionis plicæ* phænomena ad bina reduci poſſunt, videlicet ad ea, quæ ipſam plicam concernunt, tum ad ſymptomata eidem juncta.

A. *Plica* ſequentia præbet phænomena:

1. *Loca*, queis infeſta eſt, ſunt ſequentia:

a) *Caput* capillatum plerumque huic malo ſit obnoxium quacunque ſui regione; mirabile tamen eſt, plicam ſub cute naſci, ut M. GERBEZIUS (*d*) vi-

(*a*) Vide præc. n. 9.
(*b*) Ibid. n. 7.
(*c*) Ibid. n. 9.
(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 8. obſ. 71.

dit Labaci in fabro, cui molliufculus juxta aurem tumor obortus per multos annos fenfim ovo gallinæ evafit major, indolensque diu, donec tandem inflammatus apertusque puris loco plicam cirrofam, fero vifcido fordidatam, enixus eft, alteri fimilem, quæ poft oppofitam aurem erat pendula. Analogum huic cafum vidit KORDALY (*a*): & fimile quid etiam ab GOHLIO (*b*) obfervatum eft. Tamen cetera quoque crinita loca ab eodem non funt immunia; etenim

b) *Barba* etiam plicofa vifa eft. Sic J. A. HÜNERWOLFF (*c*) „ miles (ait) „ veteranus Silefius ftipem oftiatim hic „ colligens prolixam & ferocem alebat „ barbam, & præter plicas ab occipite „ dependentes, tres in mento gerebat, unam fpithama longiorem, quam „ fine nocumento poterat mutilare, reliquas vero plicas ob metum fubfecuturi doloris capitis aliusve fymptomatis non audebat refecare; quamvis „ ablationem aliquot longuriorum ejus-

(*a*) Vide progn. n. 4. B. b).
(*b*) Vide curat. pharm n. 3. a).
(*c*) Mifc. nat. cur. dec 2. ann. 8. obf. 94.

„ modi piloſorum in Pagano Bergenſi
„ hic meminerim innocuam „. Perinde
J. HELLWIG (*a*) „ vidi (narrat) ſa-
„ criſiculum ſenem in arce quadam
„ Epiſcopali Ratisbonenſi, quæ cum ſub-
„ jacente oppidulo vulgo Wörd voca-
„ tur, ſub libera cuſtodia, ſed effrœna-
„ tæ mentis, cum capillis ad humeros
„ uſque pendulis, & barba lata, longe
„ uſque ad crura promiſſa, pilis utrobi-
„ que impexis & mire implicatis, opi-
„ nor ex incuria & ſpurcitie horridis;
„ quia nullam alias affectionem plicæ
„ conſvetam inde ſentiebat, in veſtitu
„ ſqualido deambulantem, & in tali ſta-
„ tu per plures annos vivebat „. Apud
J. SCHENKIUM (*b*) J. STADLERUS narrat A. 1564. C. ab HORNSTEIN virum ad 50 annos natum fratrem Provincialis Commendatoris in Alſatia & Burgundia ob impexam contortam ac inexplicabilem ſuam barbam a Commendatore increpitum, menſaque ſua arcendum, fuiſſe niſi plicoſam barbam præciderit. Cui ille non tam menſa privari & aula excedere ſe velle libere tum re-

---

(*a*) Obſ. phyſ. med. 37. Schol. p. 137.
(*b*) Obſ. med. L. 1. obſ. 13.

ſpondit, quam inexplicabili planeque Gorgonea ſua barba carere velit.

c) *Pubes* quoque ſeu virorum ſeu mulierum plicam alere eſt obſervata. In viro id viſum narrat J. M. KORDALY (*a*) in femina I. P. HAIN (*b*): „ fuit (refert iſte) apud Ill. Palatinum „ Sendomirienſem D. OSSOLINSKI in „ Polonia Gallus quidam a ſervitiis, „ cujus nomen Santaman, ille in uxo- „ rem duxerat ex Gynæceo nobilem vir „ ginem, quæ poſtea variis morbis di- „ vexata, tandem & plica correpta non „ ſolum autem in capite ſed etiam in „ pudendo, ubi crines in tantam ex- „ crevere longitudinem, ut ſeſquial- „ teram ulnam excederent, & ſi ſibi „ permitteretur, terram attingerent: „ quapropter femori circumductam liga- „ re opus habuit plicam, quam mihi, „ dum illam rogarem, extra veſtem „ eduxit & monſtravit „. Forte hæc ipſa eſt, de qua B. MEIBOMIUS (*c*) ad- „ huc (ait) Lugduni Batav. in theatro „ anatomico plica oſtenditur pudendo-

(*a*) Vide progn n. 4. B. b).
(*b*) Miſc. nat. cur. dec. I. an. 3. obſ. 220.
(*c*) Diſſ. de pilis eorumque morbis §. 30.

„ rum muliebrium, ubi crines in tan-
„ tam excreverunt longitudinem, ut
„ terram attingerent „.

d) *Jubæ, caudæ,* brutorum. „ Bru-
„ ta quoque, ait GEHEMA (*a*), equi,
„ oves, canes in diverſis Scythiæ Ruſ-
„ ſiæ ac Poloniæ plagis plicis infuſcan-
„ tur. Inter alia ſuperbum quaſi equi-
„ num genus in juba jubaris adinſtar
„ villoſa hac commiſſura, quam aliquot
„ cubitos longam in nivea equila con-
„ templatus ſum, turgeſcit. . . Sunt
„ etiam, qui affirmant, feras plicis ve-
„ xari „. Similia quoque de equis af-
firmat H. BONFIGLI (*b*) „ e quorum pli-
„ coſis jubis turpiſſimæ tricæ ultra ce-
„ teros crines excretæ, & quaſi ad ter-
„ ram uſque aliquando extenſæ alacri-
„ tatem robur & celeritatem ipſis con-
„ ſervant: contra poſt inciſionem ſegni-
„ ties, gravis anhelitus, pedum tumor,
„ aut cœcitas ut plurimum ſequuntur „.
SENNERTUS (*c*) perinde in Hungaria
cum cetera animalia tum præſertim equos

(*a*) l. c. p. 17.
(*b*) Tract med. phyſ. de Plica Polonica p. 8.
(*c*) Prax, med. L. 5. P. 3. S. 2. C. 9.

hoc morbo infeſtari memorat ex relatione ducis militum, qui Dresdam ex Hungaria adduxit equum, cui cirrus ejusmodi ad pedes uſque erat pendulus.

2. *Numerus* quoque ac *dimenſio* digna ſunt, ut notentur: namque haud raro accidit, ut uni eidemque homini & plures erumpant plicæ (ſeu eodem id loco accidat, ſeu diverſis), & varia longitudine, latitudine, craſſitieque. Sic plures una viſæ fuere plicæ in ægris Annalium Wratisl. (*a*), GEHEMÆ (*b*), KORDALYI (*c*), SCHULTZIIque (*d*). Nominatim vero binas FEHRIUS (*e*), GEHEMA (*f*), GERBEZIUS (*g*), tres HERTIUS (*h*), quinas 9 digitos longas GEHEMA (*i*), ſeptenas SENNERTUS (*k*) memorat. Sed memora-

(*a*) Vide infra B.
(*b*) Vide cauſ. procat. veras n. I.
(*c*) Vide progn. n. 4. B.
(*d*) Vide infra n 6. c).
(*e*) Vide cur. chir. n. 3.
(*f*) Vide paulo poſt.
(*g*) Vide ſupra n. I. a).
(*h*) Vide infra n. 4.
(*i*) Vide ſympt. propheſ. n. 9.
(*k*) Vide cur. chir. n. 3.

bile eſt, quod in Annalib. Wratisl. (*a*) refertur, fuiſſe virum, cui ad 70 cirri, ſinguli funiculum obolo venalem æquantem craſſitie, circum caput pendebant adeo, ut caput ejus haud abſimile MEDUSÆ capiti videretur, ſuſpicaturque obſervator hunc ipſum forte morbum aliquando viſum fabulæ præbuiſſe occaſionem. Neque minus dimenſio variat: a collo ad lumbos uſque pertingentem vidit HELLWIGIUS (*b*), 4 pedes longæ, 2 poll. craſſæ LANDEUTTE (*c*) meminit in femina 62 annor. quæ ab ſexto decimo ætatis anno quartam jam plicam geſtavit e ſuperiore oſſis occipitis parte enatam, ſicque jam in originis loco tenuum, ut propediem defluxura videretur: hujus vero e latere alia jam ſuccreſcebat, prioris vices obitura. Non prætereundum eſt, reliquos capillos ne pollicem quidem fuiſſe longos, dum plica 4 pedes haberet: porro feminæ cum matrem, tum avunculum, ac binas affines eodem morbo ad mortem uſque

---

(*a*) Tent. 29. A. 1724. Aug. cl. 4. art. 17. n. 2. p. 216.
(*b*) Vide progn n. 4. A.
(*c*) ROUX Iourn. de medecine, &c. T. 15.

laboraviſſe. Septem porro pedum longam APINUS (*a*) vidit, ½ ulnam æquavit, quam ANHORNIUS (*b*) deſcripſit; R. LENTILIUS (*c*) virum Nordlingæ vidit pallidum, crebra lippitudine ac rheumatiſmis vexatum, qui in dextra ſyncipitis parte cirrum plus ulna longum calami ſcriptorii craſſitie multos annos geſtavit, reliquo capite inſtar ovi glabro. Ejusdem longitudinis, at 3 digitos craſſa, erat, quam obſervavit HERMANNUS (*d*) ſeſqui ulnam vero habuit plica in femina HAINII (*e*), binarum ulnarum erant plicæ, quarum 7 mater militis apud SENNERTUM (*f*) ad mortem uſque geſtavit. Ejusdem erat menſuræ, quam GEHEMA in ſuo olim condiſcipulo ex Illuſtri ZYNUTARUM familia orto vidit (*g*), numero geminam. „ Eſt mihi, inquit G. W. WE-

(*a*) Vide progn. n. 3.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. app. p. 137.
(*d*) Vide ſymptom. propbaſ. A. n. 7.
(*e*) Vide n. præc c).
(*f*) Vide cur. chir, n. 3.
(*g*) l. c. p. 15.

„ DELIUS (*a*) nota femina 50 circ. „ annor. quæ a teneris gerit plicam Po- „ lonicam ex occipite oriundam, sæ- „ piusque a me visam & tactu explo- „ ratam; trium jam & amplius ulnarum „ longitudinem, ac pondus duarum circ. „ ℔ obtinet, alias sana, quam in capi- „ te circumvolutam gerit, & minutas „ quasi excrescentias oriundas sensim in „ fine ejusdem subinde resecans sine no- „ xa „. Sed maxime memoria digna est cum ob longitudinem suam, tum ob cetera phænomena, quam in femina ab FLOERCKE Archiatro visam A. VATERUS (*b*) & I. T. KLEIN (*c*) literis mandarunt, nimirum rustica Polona quintodecimo ætatis anno nupta, 18vo plicam nacta, eam 52 annos gestavit, queis perpetuo fere ob arthritidem, & contracturas ac marasmum demum lecto affixa erat, donec 78vo ætatis anno fatis cessit. Toto illo morbi tempore nunquam nisi vere ac hyeme habitationem mutabat: hac adveniente usque adeo fri-

(*a*) Misc. nat. cur. Cent. 10. obs. 81.
(*b*) In HALLERI disp. ad morb. hist. & cur. facient. T. I. n. 16. p. 250.
(*c*) Trans. Phil. A. 1732. n. 426. art. 3.

goris erat patiens, ut ne accensæ quidem candelæ calorem, nedum majorem, tulerit. Sub ver autem transferebatur in locum calori difficulter penetrandum. Victus ei ad 70 usque vitæ annum non alius, quam panis male paratus, herbæ crudæ, & aqua, erant; generosiorem potum nunquam attigit. Ejus autem plica erat 4 ulnas longa, palmum lata, duosque pollices crassa, altero tanto alioquin futura longior, nisi magna ejus pars temporis, quo ægra decubuit, diuturnitate squallore & attritu consumpta fuisset. Latitudo quoque plicæ feminæ interdum insignis visa est: LANDEUTTE (*a*) refert capularem senem fuisse, qui tam amplam circumferebat plicam, ut scapulas prorsus contexerit, canissima, aculeataque. CONNOR (*b*) narrat ejusmodi plicam instar pallii circum scapulas pependisse. Singulare autem admodum est, quod C. F. SCHULTZIUS (*c*) memoriæ prodidit, tantam fuisse in fe-

(*a*) l. c.
(*b*) Beschreib. des Königr. Pohlens. P. 2. p. 788.
(*c*) Kurze Nachr. einig. besond. Zufälle sowohl einheim. als anderer Krankh. in Pohlen. §. 35.

mina quadam plicæ non longitudinem modo, ſed amplitudinem quoque, ut ei pro lecto inſerviret, reſectamque a morte ipſius fuiſſe muſæo rerum naturalium Dresdenſi illatam. Fidem vero ſuperat, ac vel impoſturam vel imaginationis errorem præ ſe fert, quod apud s. SCHULTZIUM (*a*) de plica abſciſſa jam, nihilo tamen ſecius adhuc in longum creſcente habetur, verba ejus dabo: „ epi„ phonematis (ait ille) loco addimus hi„ ſtoriam miram de plica reſecta, & poſt „ 16 annos e clavo pendente in loco „ ab hominibus remoto, in cœnobio „ quodam Poloniæ majoris Ordinis s. „ BRIGITTÆ circa Poſnaniam, ad ſe„ miulnæ longitudinem accreta monia„ lis cujusdam ejusdem Ordinis nomine „ KOZIELSKA, quam mihi vera fide re„ tulit monialis altera s. BRIGITTÆ Or„ dinis CONSTANTIA MIESZKOW„ SKA tum temporis Ill. D. Comitiſ„ ſæ á DÖNHOF ... domeſtica „.

3. *Genus* porro plicæ evolutæ quodnam frequentius occurrat, maſne an femina, uti & viriſne plica mas, femina mulieribus, an contrarium, accidat,

(*a*) l. c. p. 202.

adeo hæc varia ſunt ac promiſcua, vt nihil eorum pro certo dixeris. Imo quandoque utrumque eodem in ægro qua ſeorſim qua junctim videre eſt. Sic in S. SCHULTZII (a) Canonico plicæ mares dextram lævamque capitis partem tenuere, occiput vero plica femina obſedit. Si recte verba CORNELII TRIOEN (b) aſſequor, in puero ab illo viſo omnes capitis capilli in plicam feminam coiere, cirrosque ſimul efformarunt e plica villoſa exeuntes: „ puer quiſpiam (narrat Auctor) annos circ. 14. natus e „ mendicorum ordine, ipſi eleemoſinam „ darem, rogavit, quam porrigens „ ipſius caput nocturno velatum cucullo adſpexi, miratusque hujus diſciformem figuram, a fronte tempora „ & ſinciput inſtar podii circumeuntem, „ mea vice quæſivi, quid ſub eodem „ portaret, præter capillitium, regerebat, nihil. Quod ſi verum ſit, accedas, repono, domum intres, ac rei „ veritatem experiar! Mox remoto capitio Gorgoneum mihi monſtrat caput, capillis adeo implicatis ac in cir-

(a) Vide ſympt. prophaſ. A. n. 9.
(b) Obſ. med. chir. faſcic. p. 51. ſq.

„ ros contortis, ut nec arte nec fer-
„ rea patientia extricandi essent. Hac
„ novitate ulteriori indagationi studens
„ horridum arripui globum, movi ac
„ elevavi, quo mihi immundities instar
„ crustæ capiti inhærens magna comi-
„ tante pediculorum caterva adparuit.
„ Tum squalidum rogavi, in qua dege-
„ ret proseucha? velletne matrem ar-
„ cessere? respondet omnino, qua co-
„ mite brevi recurrit. Forficem, echi-
„ num, pectenque sibi compararent, mo-
„ nui, quid iisdem agendum, docui,
„ atque hisce expensis parem præbui pe-
„ cuniam, ea tamen lege & conditio-
„ ne, quod si e voto pueri detonsum
„ mihi pridie monstraret caput, me la-
„ boris pretium aucturum. Ut dictum
„ factum: redit postero jam ab inutili
„ morboso adparatu purgato cranio, a
„ pediculis sordidaque porrigine utcun-
„ que castigato, cujus munditiem ce-
„ terum curare cutem adhortatus, steti
„ promissis „.

4. *Celeritas geneseos* plicæ tanta subinde est, ut intra unicam noctem evolutionem observatam referat VATERUS (*a*);

(*a*) l. c.

imo

imo D. HERTIUS (*a*) „ vidit... in-
„ fantem 4 circ. annor. triplici plica Po-
„ lonica laborantem, unam in vertice al-
„ teras in bregmate habentem, cui pa-
„ rentes 3 prædictas plicas præcide-
„ runt ſine omni noxa & quod admi-
„ randum, unius trihorii ſpatio plicæ
„ abſciſſæ de novo ſunt conſpectæ intri-
„ catiſſimæ, ut nullo artificio extricari
„ potuerint „.

5. *Intricatio* porro quemadmodum ſeſe habeat, ei, qui nunquam rem oculis uſurpavit, verbis neutiquam explicari poteſt.

6. *Contenta* denique *plicæ* ſuperſunt breviter memoranda, eaque duplicis ordinis, primum quæ crinium tubulis inſunt, tum quæ iisdem extrinſecus inter crinium interſtitia ſeſe inſinuant. Sunt vero extrinſecus

a) *Furfures*, porriginem capitis æmulantes, id quod KORDALY (*b*), TRIOEN (*c*) aliique notarunt: porro

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 4. obſ. 105.
(*b*) Vide progn. n. 4. B. b),
(*c*) Vide præced. n. 3.

b) *Pediculi* numerosi, quos BINNINGERUS (*a*), TRIOEN (*b*), ceterique notant: mirum tamen est, quod THEODORUS SKUMINORIUS Episc. Gratianopolitanus PLEMPIO (*c*) retulit: „se „novisse nobilem Polonum fere sexa„genarium in alba Russia, cui pars „capitis plica femina ad instar pilosæ „pyramidis cirrata nullum unquam „habuit pediculum; quin e contra„rio, si vivus pediculus capiti ejus im„poneretur, moriebatur „. Intrinsecus vero

c) *Sanguis* tubulos crinium implere a nonnullis asseritur, adeo ut ex discissis capillis plicosis fluxisse dicatur visus. Sic medici Wratislavienses (*d*) „nec fabula est (inquiunt), quod plicæ „dissectæ sanguinem fundant aliquando; „id enim ita fieri quibusdam nostrum a „Polonis magna cum asseveratione est „confirmatum„: quod ipsum a fide dignis Medicis Polonis sibi affirmatum ait VICAT (*e*). Idem quidem affirmat

(*a*) Vide cur. chir. n. 3.
(*b*) Vide præced. n. 3.
(*c*) Tract. de Pilis. Cap. 7.
(*d*) Hist. morb. Wratisl. A. 1700. p. 176.
(*e*) l. c. p. 22. sq.

BONFIGLI (*a*) ac GEHEMA (*b*), & HELLWIGIUS (*c*) exemplum insuper adducit; negat tamen SILVATICUS (*d*) unquam rem sibi visam, negat quoque C. F. SCHULZIUS (*e*) in pluribus centenis plicis ab se visis id evenisse; & Canonicus S. SCHULTZIO (*f*) sancte affirmavit, se sibi plicas omnes absque noxa & sanguinis effluxione aliquoties præcidi curasse. Forte tam parum sanguis in his omnibus, quam parum crines in sanguine plicosorum, reperitur, tametsi istud quoque nonnulli (*g*) affirment. Alii etsi sanguinem contineri non pertenderent, morbosi tamen aliquid tubulis capillorum inesse voluere observatum. CONNOR (*h*) ab Episcopo Posnaniensi, dum ipsemet sibi plicam abscidisset, sibi narratum refert, observatam ab illo fuisse materiam quamdam halituosam volatilem per crinium tubulos copiose

(*a*) l. c. p. 8.
(*b*) l. c. p. 12.
(*c*) Vide cur. chir. n. 3.
(*d*) l. c.
(*e*) l. c. §. 37.
(*f*) l. c. p. 193.
(*g*) Vid. VICAT l. c. p. 40. sq.
(*h*) Beschr. des Königr. Pohlen P. 2. p. 794.

euntem, quæ cirros curvavit, & contraxit. Sic quoque I. P. HAIN (*a*) „observavit in plica alicujus feminæ illustris in Polonia, dum præcideretur „ ſe præſente: quod corpuſcula flava „ ſulphurea plurima per plicam ſparſa „ in ea invenirentur, quæ incenſa ſulphur redolebant, ſed cum fœtoris „ alieni interſperſo odore „. Sed horum omnium fides penes eorum Auctores eſto.

B. *Symptomata* porro plicæ evolutæ quod attinet, ſi quæ ſunt, a prophaſi huc extenduntur, quæ nonnunquam evoluta plica ex toto deſinunt, velut in ægris BAUERI (*b*), DANIELIS (*c*), FISCHERI (*d*), HERRMANNI (*e*), S. SCHULTZII (*f*), STABELII (*g*), &c. Interdum vero nihilominus, ut ante, ſævire pergunt: niſi quod aliquando, facta plicæ evolutione, mitiora aut pau-

---

(*a*) l. c.
(*b*) Vide progn. n. 4. B. a)
(*c*) Vide cur. chir. n. 4.
(*d*) Vide ſympt. prophaſ. A. n. 9. B.
(*e*) Ibid. A. n. 5. 7.
(*f*) Vide ſympt. prophaſ A. n. 4. 8. a) 9.
(*g*) Vide cur. chir. n. 2. b) hiſt. 1. 5. 7. 9. 10. & n. 3. hiſt. 4. 8.

ciora fiant. Perſtitere ſane in ægris LENTILII (*a*), SILVATICIque(*b*), neque in Annalib. Wratisl. (*c*) ex toto Colonellum reliquit paralyſis, neque LANDEUTTII (*d*) feminam cephalalgia, neque malum oculorum STABELII (*e*) virum. Quod tum præſertim accidit, dum acris morboſa materia in ſtadio primo adeo vehementer partem quampiam corripit, ut nulla amplius naturæ vi inde evocari queat, vel ita jam ſolida ibidem læſit, ut licet inde evocata ſit, vitium tamen velut effectum poſt ſe relinquat. Sic in Annalib. Wratisl. (*f*) nonnemo poſt iram in febrem quotidianam, cujus caloris ſtadium 12 horarum erat, deliriumque attulit, incidit: huic fugatæ ſucceſſit hemicrania lævi lateris cum inquietudine, vigiliis, anorexia, anxietate, meticuloſitateque; in oculis puſtulæ eruperant

---

(*a*) Vide. A. n. 2.
(*b*) Vide ſympt. propb. A. n. 7.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Vide A. n. 2.
(*e*) Vide cur. chir. n. 2. b). hiſt 7.
(*f*) Tent. 6. A. 1718. Octob. cl. 4. art. 14. §. 2. p. 1760.

cœcitatem minantes: tandem post 4 menses a febris invasione eruperunt plicæ quidem, sed tamen unus periit oculus a vi morbi, nec cetera mala prorsus desiere; siquidem trimestri alvus non nisi enematis elici potuit, nec debilitas ante ¾ anni domo egressum admisit. Felicior autem isto fuit FISCHERI (*a*) monialis 37 annor. quæ tametsi sceleti in modum extenuata præter arthritidem ulcera quoque inguinum, mammillarum, ac faucium patiebatur, tamen ubi adhibitam medelam evolutio plicæ secuta est, omnia hæc mala superata fuerunt. Perinde vir nobilis 60 annis major, narrante E. J. NEIFELDIO (*b*), a pluribus annis plicæ ac podagræ obnoxius, cum in podagræ dolore iter in frigore humido faceret, isto cessante in atrocem die postero cardialgiam & colicam incidit, quibus mitigatis die 3° successit asthma cum sputis viscidis, alvo adstricta, febricula lenta, vertigine, doloreque externo capitis ac nuchæ tensivo. Datis itaque antispasmodicis, expectoranti-

(*a*) BÜCHNER l. c. p. 1103.
(*b*) Prim. phys. Med. Polon. Vol. 3. obs. 3. p. 49. sqq.

bus, incidentibusque cum ſputa & alvus procederent, ſymptomata mitiora fiebant: cumque deinde etiam ad revocandam podagram veſicantia circa malleolos pedum poſita fuiſſent, hujus loco plica confeſtim in capite apparens ſymptomata omnia ſuſtulit.

CAUSÆ

I. REMOTÆ

A. PROEGUMENAE.

1. *Hæreditaria labes*, quam contraxerant ægri FISCHERI (*a*), KORDALYI (*b*), LANDEUTTII (*c*), SENNERTI (*d*), STABELII (*e*), &c.

2. *Ætas* etſi maxime ea huic morbo ſit obnoxia, quæ *pubertatem experta* jam eſt; tamen etiam impuberes infantes a plica non ſunt immunes, velut qua-

(*a*) Vide ſympt. proph. A. n. 9.
(*b*) Vide progn. n. 4. B. b).
(*c*) Vide geneſ. plicæ A. n. 2.
(*d*) Vide cur. [illegible]ir. n. 3.
(*e*) Ibid. n. 2. b). hiſt. 1.

drimus HERTII (*a*); præſertim ſi a parentibus plicoſis procreati fuerint: ſic apud D. SENNERTUM (*b*) Comitis NIC. SAPIEHA hoc morbo graviſſime vexati „ filius . . . ſexennis primum jam plicas „ aliquot in pilis capitis habebat; idem- „ que etiam aliis accidit „.

3. *Sexus* vero quamvis uterque plicam experiatur, tamen teſte STARNIGELIO (*c*) plica „ maximam partem „ feminas invadit „.

B. PROCATARCTICÆ.

Has ordinatioris doctrinæ cauſa bifariam diſpeſcere viſum eſt, nimirum in veras & commentitias: prius has, illas poſtea expendere oportebit.

Commentitiæ.

1. *Ingeſta* varia a variis Auctoribus credita ſunt morbo huic dediſſe occaſionem, et quidem

α) *Venenum Tartarorum* eſt vulgatiſſima de origine plicæ in Polonia fabu-

---

(*a*) Vide Genes. plicæ A. n. 4.
(*b*) l. c.
(*c*) l. c. §. 5.

la, ut videre eſt apud CONNOR (*a*): memorat ille, ad A. 1279 ſub LESCO nigro Poloniæ imperante incurſionem in Poloniam feciſſe Tartaros, magnamque hominum vim ab iisdem fuiſſe interfectam, exempta ipſorum cadaveribus corda, venenoque infecta in flumina eſſe projecta, e quibus quicunque poſtea bibiſſent, illos plicæ morbo tum primum redditos fuiſſe obnoxios. Idem referunt J. PASTORIUS (*b*), SPONDANUS (*c*), BZOVIUS (*d*), CROMERUS (*e*), DLUGOSSIUS (*f*), aliique. Qui vero commento huic nihil detulere, alia ingeſta culpabant, inter quæ

β) *Viſtulæ fluvii aqua* pota haud paucis viſa eſt plicam inducere. Interea G. F. STABEL (*g*) recte notat, „ quod loca quædam ſint, in quibus in- „ colæ ſolam ex flumine Viſtulæ bibunt

---

(*a*) l. c. p. 792.
(*b*) Floro Polonico. L. 2. C. 14.
(*c*) l. c.
(*d*) Nomenclat. S Med.
(*e*) De orig. & reb. geſt. Polon.
(*f*) Hiſt. L. 7.
(*g*) Diſſ. exhib. ſingulares Obſ. de plica Pol. obſ. 4. in HALLERO l. c. n. 17. pag. 258.

„ aquam, quorum tamen nullus un-
„ quam plica laboravit; multa vero
„ etiam dentur loca, in quibus homi-
„ nes ibidem degentes hanc aquam ne-
„ que guſtarunt unquam, nihilominus
„ tamen ſæpius hoc malo corripiantur„.
Alii univerſim aquas fluminum a montibus Carpathicis oriundorum culpandas cenſuere, quam in ſententiam STARNIGELIUS (*a*) quoque inclinare videtur. Verum negat id H. BONFIGLI (*b*) eo
„ quod fluvii dicti in alveum Tyræ con-
„ currentes & mare nigrum ſubeuntes
„ extrema Ruſſiæ Polonicæ tantummodo
„ lambunt„: pauciſſimi vero Poloniæ fluvii e montibus Carpathicis oriuntur, nedum ii, qui eas plagas alluunt, ubi plica eſt endemia, ut in Lithvania, Ruſſia rubra. Utrum vero acu rem tetigerit H. BONFIGLI (*c*), veram plicæ cauſam in aquarum potabilium in Polonia indolem pinguem, ſulphuream, ſalinam, mineralem, rejiciens, viderint alii. Negat omnino aquas culpandas eſſe ſolas VICAT (*d*).

(*a*) l. c. §. 2.
(*b*) l. c. p. 14.
(*c*) Ibidem & ſqq.
(*d*) l. c. p. 24. ſq.

γ) *Diæta prava* (ſc. alimenta dyſpepta, abuſus 🜄, & alia hujusmodi) perinde, ut de aquis dictum, ſine fundamento incuſatur; nam præterquam quod ejusmodi diæta omnium aliorum populorum plebs infima ubique utatur, imo nonnullis in locis deteriore etiam, quin tamen plica ibidem ſit vel nota, nedum endemia, accedit etiam, ut notavit STABEL (*a*) „ quod multi hel-„ luones, qui ſpiritus ardentes, aut „ alium potum ſpirituoſum, largiter ſa-„ tis ingerunt, hoc malo quandoque „ quidem corripiantur, quandoque vero „ etiam multi illorum plane ab eodem „ liberi maneant „. Ac licet plica ple-„ bem ſordidam egenamque præprimis infeſtet, id non tam diætæ pravæ, quam propagato facilius apud eos, communi lecto, pileo, &c. utentes, contagio eſt tribuendum. Cur enim apud laute viventes etiam plica reperitur? In omni enim hominum genere eam vidit C. F. SCHULZIUS (*b*). Et idcirco negat VICAT (*c*) morbum a ſola prava diæta proficiſci.

(*a*) l. c.
(*b*) l. c. §. 36.
(*c*) l c. p. 25. ſqq.

δ) *Aer insalubris* Poloniæ pariter huc non facit: cum enim is alibi quoque gentium, ac sæpe deterior Polonico, reperiatur, quin plicam procreet, cumque teste STABELIO (*a*) „ in locis „ nonnunquam salubribus, quæ optima „ gaudent aëris temperie (uti v. g. Bili- „ cium in superiori Silesia), tam multi, „ imo forte plures, hoc malo corripian- „ tur, quam in aliis insalubribus, hu- „ midis, uvidis, non procul inde dissi- „ tis „: plicæ ratio in aëre omnis non potest contineri.

2. *Influxus siderum* e variis eorum aspectibus petitus, etiamsi unquam aliquem morbum inducere potuisse credendus foret contra omnia sanæ philosophiæ momenta, plicam tamen invehere quis credat potuisse? Sit enim ita, tum plica utique evanescente illa constellatione, ut SILVATICUS (*b*) recte arguit, perinde uti omnes aliæ epidemiæ evanescere debuisset: durat vero per tot jam secula, imo increbescit; cum tamen nulla constellatio, nulla aëris epidemica constitutio eo usque durare queat, sed omni mutetur anno in aliam atque aliam.

(*a*) l. c.
(*b*) l. c.

3. *Dæmones, incubi, incantationes,* &c. a queis vulgus Polonicum plicam derivat, confutationem operosam nunquam merentur.

4. *Sordida capitis negligentia* apud Polonos tanquam unica & adæquata plicæ Polonicæ causa ab nonnullis statuebatur usque adeo, ut ii eandem morbum esse negarint, quos inter præsertim fuit THEOPHRAST. VERIDICUS Scotus quidam, sub quo nomine prodiit Tractatus Plicomastix seu plicæ e morborum numero ἀπόσπασμα. 4. Dantisci 1668. Hujus deinde sententiam plures alii sunt secuti. Interea qui exacte ad omnia quæque plicæ adjuncta adverterit animum, gravissima rationum momenta eruet, svadentia plicam nec ab sorditie impexorum crinium apud Polonos ortum trahere posse, nec e numero morborum esse expungendam: quandoquidem

a) Sordida capitis negligentia & crinium impexio in millionibus mortalium inter alios quosque orbis terrarum cogniti populos reperiundorum perinde obtinet, quin tamen plica inde illis sit endemia, imo ne nota quidem est, & portenti in modum, si videtur, habetur. Porro

b) Nobilissimis & munditiei studiosissimis cum viris tum feminis Polonis plica non parcit; quis enim immunditiem dictam ac pectendi capitis negligentiam sibi persuaserit obtinuisse in Colonellis in Annalib. Wratisl. (*a*), ac S. SCHULTZII (*b*), ejusdemque (*c*) Canonico, Comite SAPIEHA SILVATICI (*d*) ac SENNERTI (*e*), illustribusque feminis BERNITZII (*f*), & DANIELIS (*g*), innumerisque aliis in hac Dissertatione reperiundis? „ Ridendi, „ inquit C. H. ERNDTELIUS (*h*) ... „ penitus mihi videntur, ut leves & „ imperiti, qui sorditiem & ignaviam „ solam in pectendis crinibus huic mon„ strosæ complicationi primam dare ori„ ginem existimant, ignari fortassis, „ quod Polonorum nobilissima gens pa„ trio more lunata fronte incedat, ca„ pitisque amet levitatem. Vidi non

(*a*) Vide sympt. prophas. A. n. 7.
(*b*) Vide ibid. n. 10.
(*c*) Vide ibid. n. 9.
(*d*) Vide sympt. prophas. A. n. 7.
(*e*) Vide caus. proeg. n. 1.
(*f*) Vide cur. chir. n. 2. b).
(*g*) Vide ibid. n. 3.
(*h*) Warsav. phys. illustr, c. 5. p. 158.

„ ſemel in munditie exactiſſimos ab hoc
„ malo tamen liberos eſſe haud potuiſſe;
„ & in ſpecie recordor Generalis cujus-
„ dam officialis bellici, natione quidem
„ Poloni, aſt qui diu etiam in Saxonia
„ commoratus fuit, tandem Poſnaniæ
„ per paucos aliquot annos degentis,
„ qui non obſtante omni corporis cura,
„ cui maxime deditus erat, propter ſe-
„ xus ſequioris amorem, tantam con-
„ traxit in capite plicam, ut vix pere-
„ grino capillitio contegere ſatis illam
„ potis fuerit„. Quid quod

c) Fœtus cum plica ex utero prodiiſſe experientia ſibi conſtare STABELIUS (*a*) teſtatus fuerit? Quam in his ſorditiem incuſabit VERIDICUS? Hæc de plicæ ſubjectis. Spectemus nunc plicam ipſam cum occultam tum evolutam.

d) Symptomata prophaſeos numero, magnitudine, diuturnitateque atrocia qui conſiderat, nunquam ei in mentem veniet, quemadmodum hæc ab ſola ſordida negligentia ortum trahere queant (*b*): eademque eſt ratio ſymptoma-

---

(*a*) Vide (l. c. in geneſ. plicæ n. 2.) obſ.
(*b*) Vide Prophaſin.

tum plicæ ablatæ (*a*) ſuccedentium. Deinde

e) Plicæ geneſis in barba ac pube (*b*). Etiamne loca hæc apud ullos mortales culturam quampiam ac munditiem peculiarem unquam ſortita ſunt, ut iis neglectis plica ibidem orta jure imputari poſſit?

f) Longitudo plicæ inſolita, dum alii vicini crines inſigniter fuere breviores, velut in femina LANDEUTTII (*c*), qua ratione e ſolo munditiei neglectu proficiſci queat, OEDIPO opus eſt, qui divinet; præſertim dum longæ id genus plicæ in pubis crinibus generantur, qui nunquam niſi curti eſſe ſolent, velut in HAINII (*d*) muliere, cui pubis plica ſesqui ulnam longa erat.

g) Celeritas porro evolutionis plicæ, quæ interdum ſpatio noctis accidit (*e*), cujus rei exemplum refert J. F. BACHSTROHM (*f*): „mulieres

(*a*) Vide cur. chir. n. 3.
(*b*) Vide geneſ. plicæ A. n. 1. b). c).
(*c*) Vide ibid n. 2.
(*d*) Vide ibid. n. 1. c).
(*e*) A. VATER l. c.
(*f*) Diſſ. de Plica, Hafniæ 1723.

plu-

„ plures nobiles comptiſſimæ, tædio hu-
„ jus mali inductæ, quidquid ex reſcin-
„ dendo noxæ provenire poſſet, ſper-
„ nentes, ad cutim uſque abraſis capil-
„ lis, quotidie poſtmodum bis aut ter
„ de capillis pectendis ſollicitæ fuerunt,
„ quo complicationi novæ occurrerent;
„ ſed poſt tempus aliquod renovatis do-
„ loribus eisdem per unam noctem ex
„ improviſo, nemine, neque ipſis at-
„ tendentibus, ſub leniſſimo formicarum
„ repentium ſenſu, adeo contorti atque
„ complicati fuerunt crines, ut omnem
„ pectendi extricandique conatum peni-
„ tus eluderent„. Hæc celeritas ergo, imo major, qua & in infante HERTII (*a*) abſciſſa intra 3 horas recrevit, qui ſorditiem arguere ſolam queat, nemo, opinor, ſatis aſſequetur. Sed

h) Bruta (*b*) unde quæſo plicam nanciſcuntur? Ab neglectu munditiei? Quot non plicoſos equos per orbem terrarum dari ex hac cauſa oporteret, dum tamen nuſpiam, niſi ubi plica hominibus eſt domeſtica, reperiuntur. Denique

(*a*) Vide geneſ. plicæ A. n. 4.
(*b*) Ibid n. 1. d).

i) Lycopodio quid faciemus, cujus decocto capiti adhibito, etsi prius munde habito, plicæ eruptio obtinetur(*a*)? Ex his ergo satis patere arbitror, plicam sordidæ capitis negligentiæ, neutiquam tribui posse, esseque illam haud secus, ac luem veneream, scorbutum, lepram, &c. in numero morborum habendam, quidquid Scoto illi VERIDICO (imo Falsidico) secus fuerit visum. Percurrimus sic causas commentitias plicæ: nunc videndæ sunt

Veræ.

1. *Contagium* ab aliis plicosis contractum, quod variis modis evenire potest, nimirum aut pileum plicosi capite gestando, aut in lectis plicosorum somnum capiendo, aut in balnea, ubi illi se abluerant, descendendo, aut plicosum virus in ingestis sumendo, &c. FISCHERUS (*b*) profecto „notabat . . „ in hoc affectis malo, quod omnes, „ quotquot hoc corripiebantur, natura- „ liter in id inclinabant, & dispositi „ erant, ita ut vel hæreditate paterna

(*a*) Vide cur. chir. n. 2. b).
(*b*) l. c. ad sympt. prophaſ. n. 10.

„ filii a parentibus; vel per contagium „ unus ab altero, illud acquiſiverit„, Ut proinde omnis hic morbus non niſi binis his modis contrahatur. Narrat P. R. VICAT (*a*) illuſtrem Germanam, ubi caſſidem ſuam Polonæ geſtandam conceſſiſſet, receptamque ipſa denuo geſtaſſet, plicam inde contraxiſſe. Quod ad ingeſta attinet, Judæi (inviſæ ſuperſtitionis hominum genus) in Polonia credentes ſe a plicæ moleſtiis liberatum iri, ſi eam in alios transplantare poſſent, teſte BONFIGLIO (*b*) „ propriam plicam „ abſciſſam in cereviſiam, crematum, „ aut mulſum infundunt, & immundos „ liquores aut hoſpitibus propinant, „ aut alibi vendunt: idque a fide di„ gnis narratum acceperat (Auctor), „ aſſeverantibus ſpurciſſimum tale cri„ men paſſim a Judæis patrari, qui pu„ tant plicæ morbum ab ipſis in pota„ tores transplantari „. Quantum vero ad balnea, ſi verum eſt, quod GEHEMA (*c*) refert, hujus certe ſit loci, oportet, nempe „ retulit (ait ille) mi-

(*a*) Memoire ſur la Plique Polonoiſe p. 12.
(*b*) l. c. p. 19.
(*c*) l. c. p. 14.

„ hi fide dignissimus marticola aliquis, „ se quondam in provincia Ukraina, „ cum bellum gereretur contra . . . . „ Cosaccos, duos sub vexillo suo ha- „ buisse milites, alterum genere Gal- „ lum, alterum Germanum, qui impe- „ trata venia, ut abluere se in proxi- „ mo stagno liceret, vix se se immer- „ gentes innumerabiles contraxisse pli- „ cas, præsertim Gallum, multa paulo „ ante cæsarie ornatum „. Interea „ nostrum, inquit H. LUDOLFF (*a*), „ super hac re judicium si desideres, „ non audemus morbum hunc inter con- „ tagiosos referre; talis enim si esset, „ non facile quis cum plica affecto con- „ versaretur: cujus tamen contrarium „ fieri, quotidie observare licet „ At vero, si innoxia conversatio plicam contagiosis morbis eximeret, profecto nec lues venerea, nec scabies, nec hydrophobia, &c. contagiosæ essent. Singulis quippe contagiosis morbis certus est contagii applicandi, ut communicetur alteri, modus.

(*a*) Diss. de Plica 4°. Erford. (Resp. M. LÜTTKE) §. 15.

2. *Capitis externi morbi*, ut vulnera, ulcera, &c. materiam plicosam vel facilius ab extrinsecus alliciunt, vel intus latentem in capillos derivant. Documento hanc in rem sunt ANHORNII (*a*) juvenis, & femina FEHRII (*b*).

II. PROXIMA.

Quemadmodum in aliis abstrusæ indolis morbis varii circa proximas eorum causas varia proferunt: ita & in Plicæ Polonicæ causa proxima assignanda accidit, velut in MEIBOMIO (*c*), SENNERTO (*d*), SILVATICO (*e*), SCHULZIO (*f*), aliisque (*g*), videre est. Si tamen studiose remotæ expendantur causæ, facile apparebit causam proximam debere esse *miasma peculiare actuosum redditum*: quod utrum naturæ salino-sul-

(*a*) Vide progn. n. 3.
(*b*) Vide cur. chir. n. 3.
(*c*) Diss. de pilis eorumque morbis §. 24.
(*d*) l. c.
(*e*) l. c.
(*f*) l. c. §. 34.
(*g*) Vide VICAT l. c. p. 15. sqq. H. LUDOLFF l. c. §. 8.

phureæ ſit, velut STABEL (*a*) exiſtimat, haud laboro. Quæri melius poſſet, unde miaſma hoc Polonis endemium? Nam ita iis ſolis eſt proprium, ut licet hic illic aliquos aliarum nationum homines plicoſos reperire ſit, v. g. quales fuere ægri FISCHERI (*b*), HÜNERWOLFII (*c*), LANDEUTTII (*d*), LENTILII (*e*), &c. tamen ſi res bene penſitetur, non niſi, qui vel Poloniæ contermini ſunt, vel olim in Polonia vel a plicoſis contagium ſuſcepere, vel a majoribus plicoſis procreati ſunt, præſertim e Polonia oriundis, afficiantur: quod ipſum tuetur VICAT (*f*). Memoriæ quidem prodidit SCHENCKIUS (*g*), Briſgois, Alſatis, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus plicam eſſe quaſi endemiam; ſed id hodie ſecus ſe habet: ut proinde haud liqueat, quemadmodum ſeculo 16to plica iis in locis invaluerit, quaque poſtea ratione deſierit, ut hodie

(*a*) l. c. Obſ. 5.
(*b*) Vide ſympt. proph. A. n. 5. 10.
(*c*) Vide geneſ. plicæ A. n. 1. b).
(*d*) Vide ibid n. 2.
(*e*) Ibidem.
(*f*) l. c. p. 13.
(*g*) Obſ. med. L. I. Obſ. 13.

ſolis pene Polonis eorumque viciniis ſida ſit in vita comes. Negat id tamen H. LUDOLFF (a) „meam . . . (ajens) „ ſi deſideres ſententiam, intrepide ſub- „ ſcribo . . . Plicam adeo non eſſe mor- „ bum Polonis Lithvanisque endemium, „ ut potius in diverſis quoque a Polo- „ nia & Lithvania regionibus quando- „ que obſervata ſit, ac etiam nunc obſer- „ vetur. Nam et Hungaros item Ruſſos „ a morbo hoc vexari compertum eſt; „ imo & in Germania non ignotum il- „ lum eſſe morbum experientia tum alie- „ na tum propria mea confirmare poſ- „ ſum. Vidi quippe Jenæ, cum ibi . . . „ ſectioni anatomicæ feminæ cujusdam „ ab E. D. D. & P. O. FICKIO peractæ „ intereſſem, plicam feminæ dictæ, quæ „ nunquam terram Polonicam attigit, „ caput deformare, quam etiam abſciſ- „ ſam adhuc aſſervo in documentum pli- „ cæ aliis quoque nationibus præter Po- „ lonicam inſidiantis. Plura exempla „ feminarum Jenæ viventium afferre, „ ſi liceret, paratus eſſem „. Sed ſi quis varios contagiorum modos animo reputet, facile dabit, Romæ etiam pli-

(a) l. c. §. 5.

cas occurrere posse, quin ideo plicam Romanis endemiam esse statuat. Quidquid sit Origo sane hujus mali semper ignota (opinor) manebit, haud secus ac luis venereæ & variolarum. R. FONSECA (*a*) suspicatur ex epidemia quadam peculiari in Polonia occepisse, postmodoque hæreditaria labe abivisse in endemium morbum. ERNDTELIUS (*b*) vero credidit hæreditariam labem plicæ inde provenisse, quod dum feminæ Polonæ a Tartaris vi fuissent compressæ, rigidæ iis steterint comæ præ horrore, sicque imaginatione hac fœtus earum fuisse affectos, ut plicosi postea evaserint. Sed quid non opinari licet?

DIAGNOSIS.

Diagnosin plicæ Polonicæ instituturo bina sunt animadvertenda: primum ut plicam occultam agnoscat (id est, ut symptomata prophaseos non aliunde, quam a latente plicæ miasmate producta esse certis indiciis detegat), tum ut plicam

(*a*) Consult. 1.
(*b*) Warsaviæ physice illustratæ p. 154.

præſentem jam, morboſane an arte facta ſit, (id quod mendicabula quandoque ingenioſe mentiendum ſuſcipiunt, ut ſtipem corradant) rite dignoſcat.

I. *Occulta* plica detegitur, ſi

1. *Cauſæ* ejus prægreſſæ ſunt, ut contagii contracti ſuſcipio probabilis, vel ſi a plicoſis parentibus æger eſt procreatus, vel ſi prius jam plicam geſtavit, quæ vel ſponte defluxit, vel ablata eſt violente.

2. *Symptomata* plicæ latenti ſolennia, præſertim pica, ungues deformes, arthritis, capitis dolor, ſudor viſcidus, porrigo, &c.

3. *Remedia* morbis prophaſeos, ſi ut primarii tractati aliquo tempore fuerunt, fruſtra adhibita, præſertim talia, quæ alioquin efficaciſſima in id genus morbis eſſe ſolent.

II. *Evolutam ficta mentiens* dignoſcitur, ſi

1. *Intricatio* non in caudice, ut BONFIGLII (*a*) verbo utar, ſed in medio & circa extremitatem crinium ſit; vera enim plica in ipſis crinium exordiis mox intricata perinde eſt, ac in decurſu. Si

---

(*a*) l. c. p. 8. 9.

2. *Habitus* temperiesque nativa crinium adest. Veræ enim plicæ crines a ceteris non intricatis habitu ac temperie magnopere discrepant. Si porro etiam

3. *Heterogenea* crinibus implexa sint, ut paleæ, & similia, quæ plicæ arte factæ texturam cohæsionemque conservant. Si denique

4. *Odor* vel terebinthinæ vel alius plastici corporis in plica deprehendatur. Familiaris enim impostura, teste SCHULZIO (*a*) est in Polonia barbitonsoribus Judæis, ut ægris, quos perperam alienis remediis quibusdam in morbis tractarunt, morbumque e malo deteriorem fecerunt, fucum faciant, ægritudinem exasperatam a plica provenire, conciliando iis, ope terebinthinæ capillis clam inductæ, plicam artificialem: quæ tamen fraus solo 🜄 rectificato affuso, qui terebinthinam solvit, detegitur. Denique

5. *Diuturnitas* temporis ipsa plicam fictam a vera discernit „ si comæ, quo „ magis excrescent, eo longius glutinatam tricam a cute asportaverint, „ quarum pars dum continuo a pondere

(*a*) l. c. §. 42.

„ tracta sua radice secedat, & semper
„ tricis inhæreat, molem tamen adaugere solet, ut viderit BONFIGLI (*a*)
„ hujusmodi plicas tandem de toto eradicatas per se cecidisse „.

PROGNOSIS.

1. *Diturna fœditas hæc est nonnullis*, ut quæ multis annis circumferatur, nec nisi cum vita subinde desinat. Multis annis gestatam narrant BERNITZ (*b*), LENTILIUS (*c*), ac STABEL (*d*). Nominatim vero 10 annos duravit in APINI (*e*) muliere, duodennem vidit in alia STABEL (*f*), in viro (*g*) autem toto vitæ tempore. Æger ANHORNII (*h*) 36 annis eam circumtulit, 50 annorum erat WEDELII (*i*) femina,

(*a*) l. c. p. 9.
(*b*) Vide cur. chir. n. 2. b)
(*c*) Vide genes. plicæ A. n. 2.
(*d*) Vide cur. chir. n. 3. hist. 3.
(*e*) Vide progn. n. 3.
(*f*) Vide cur. chir. n. 3. hist. 8.
(*g*) Ibid. hist. 11.
(*h*) Vide progn. n. 3.
(*i*) Vide genes. plicæ A. n. 2.

cui a teneris malum erat infeftum, FLOERICKII (*a*) denique ægram 52 annis plica detinuit.

2. *Deteriorne eft plica femina præ mare?* A. VATERUS (*b*) plicam feminam & rariorem & curatu difficiliorem effe perhibet.

3. *Defluit interdum vario eventu*, ita ut, fi plures adfint, vel omnes decidant, vel aliquæ folummodo ceteris perftantibus, idque aut fine valetudinis detrimento, aut morbofis fymptomatis fuccedentibus. Porro delapfæ plicæ aut alia poftmodo fuccrefcit, aut nulla. „ Quidam, inquit STARNIGELIUS (*c*), „ quamquam perrari, cum aliquot an„ nis hoc genere morbi cruciati exagi„ tatique fuiffent, nec caput rafiffent, „ vexationemque ejus omnem & pedo„ rem & fpurcitiem non fine fumma „ moleftia & naufea pene intolerabili „ pertuliffent, tandem virulentis illis „ cirris decidentibus convaluere; maxi„ ma tamen pars perit „. Sic S. J. „ APINI (*d*) mulier Brunsvigæ . . .

(*a*) Ibidem.
(*b*) l. c.
(*c*) l c. §. 6.
(*d*) Act. nat. cur. Vol. 3. Obf. 102.

„ lignarii fabri uxor circa 40 ætatis ſuæ „ annum præter omnem ſibi cognitam „ occaſionem ſive cauſam in capillitio „ ad occiput verſus enaſcentem ſenſit „ plicam : hanc eo magis patienter „ ipſa tulit, quo minus incommodum „ inde accepit : de averruncando etiam „ hoc minus ſollicita, quo magis id „ periculoſum fore audivit, geſtatione „ vero illius neſcio quam proſperitatem „ ſe conſecuturam perſvaſum habuit. „ Cum interim ad 7 pedum longitudinem „ plica increviſſet, nullo dolore, niſi „ levioris interdum contorſionis ſenſu „ ad radicem moleſta, decimo demum „ a prima origine anno accidit, ut ma- „ tutino tempore ex improviſo tota ex- „ cideret, paucis apparentibus capillis „ jam aridis factis, qui radicum vicem „ præſtiterant. Mulier autem, ſicut „ antea ſatis bene valuit, ita poſt ca- „ ſum plicæ nihil adverſæ valetudinis in „ hunc usque diem experta eſt, neque „ renaſcentem deprehendit plicam „. J. J. NEUHOLDO (*a*) narravit Judæus uxori ſuæ ſponte plicam excidiſſe, quin porro recreverit. Scabino vero

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 3. app. p. 159.

S. SCHULTZII (*a*) cum cirri aliquot excidiſſent, duo tamen perſtiterunt. Contra ea FEHRII (*b*) mulieri binas habenti plicas cum ambæ excidiſſent, una 3 ulnas longa recrevit. Rarius vero accidit, ut plica femina defluat, utpote innumerabilium capillorum radicibus hærens; deceſſiſſe tamen eam vidit S. SCHULTZIUS (*c*) in Comite femina, cui absque ulteriore noxa alii capilli nigri ſuccrevere. Secius vero ſe res habuit in S. S. ANHORNII (*d*) fabro lignario ad 21 uſque ætatis annum, ſi variolas morbilloſque excipias, ſemper ſano: tum vero e valida nuchæ a parietum anconibus contuſione, poſtquam ad tempus attonitus jacuiſſet, aceti cyatho propinato ad ſe reverſus nil mali ſenſit, præter dolorem nuchæ, ſua ſponte dein evanidum, qui ſtigmatis notam poſt ſe reliquit tuberculum mobile, indolens, cuti concolor, piſo vix majus, pollicem ſupra atlantis proceſ-

---

(*a*) l. c. p. 199. Vide ſymptomata prophaſ. A. n. 4.

(*b*) Vide curat. chirurg. n. 3.

(*c*) l. c. p. 199.

(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 10. obſ. 19.

ſum ſuperiorem conſpicuum ; cujus e confiniis haud ita multo poſt cirrus ſubviridis $\frac{1}{2}$ ulnam longus excrevit, ac decennio poſt in bona valetudine transacto ſponte inopinatoque excidit. Quo facto tuberculum hactenus nil mutatum nunc crevit uſque adeo, ut tandem omne inter ſcapulas ſpatium explens alas quoque homoplatarum contegeret, doleretque, donec ferro aliisque præſidiis non ſine ſumma difficultate ablatus ægrum priſtinæ reſtituiſſet valetudini. Ita & apud VICAT (*a*) matrona illuſtris, quod remedia præſcripta nec debito tempore nec diligenter uſurparit, non niſi lente a plica convaluit. Inde tamen quotannis circa idem tempus, quo primus morbi inſultus contigit, novi redibant paroxyſmi. Poſt iram terroremve melancholiam & convulſiones (interdum aliquot nonniſi horarum, alias pluribus etiam diebus durantes) patiebatur; qui paroxyſmi hyſtericis multum analogi erant : extra eosdem tamen prorſus ſana eſſe matrona videbatur.

4. *Ablata improvide, aut mutilata, graves morbos, imo mortem etiam, poſt*

(*a*) l. c. p. 50.

ſe trahit, ut ſuo loco (*a*) videbimus; niſi ubi vel recreſcit denuo plica, vel Metaſtaſis aliqua cutanea morbos ejusmodi tollit.

A.) *Regeneratio plicæ* profecto nonnunquam illico id genus ægritudines abolevit, veluti e STABELII (*b*) caſibus apparebit. Imo vero haud prius interdum ſymptomata cedunt, quam plica vel mutilata ad priſtinam recreverit menſuram. Sic novit HELLWIGIUS (*c*) „ virum temperamenti ca„ chectici, obeſi corporis, & vultus „ pallidi, qui cirrum denſum, longum, „ a cervice ad lumbos uſque pendulum, „ ac mire implicatum & inviſcatum in „ cervice gerebat; qui quidem aliquo„ ties ob ſpurcitiem . . . copioſam & „ fœtidam, tanquam diffractus ad ter„ tiam pene partem in extremitate „ ſponte deſilivit: ſed tunc uno altero„ ve ſymptomate gravi vir iſte mole„ ſtabatur, uſque cirrus ad priorem „ menſuram procreſceret „. Quod ſi vero plica non recreſcat, ſolet nonnunquam fieri materiæ morboſæ critica

(*a*) Vide cur. chir. n. 3.
(*b*) Ibid. n. 3. hiſt. 3. 4. 11.
(*c*) l. c. p. 137.

B.) *Me-*

B.) *Metastasis* cutanea, ut est

a) *Exanthema* aliquod, cujusmodi casum observavit C. F. BAUER (*a*) in Judæo 46 annor. crebris prius morbis vexato, evoluta autem plica utcunque sano, qua sufflaminata, accedente simul graviore ira, in gravissimam incidit febrem cum vomitu, alvo clausa, vigiliis, anxietatibus, &c. non prius fugandis, quam exanthema vesiculare in brachia ac pedes se effudisset; vesiculæ sola fere magnitudine a miliaribus rubris discrepabant, in brachiis rubræ, solidescentes, in pedibus rubræ itidem, at pellucidæ, ichoreque refertæ. Quæ confluxere in unam, hæc facile nucem juglandem æquabat, interjectis aliis pisum magnis: incisæ ichorem flavescentem dedere, &c. Intra 6 dies exsiccatæ sunt, ægerque legitima medendi methodo convaluit.

b) *Ulcera*, præsertim glandularum. Narrat I. M. KORDALY (*b*) operarium 42 annor. Polonum a semestri jam œdemate pedum, cephalalgia, vagaque arthritide, vesperi præsertim ingrave-

(*a*) Primit. phys. med. Polon. Vol. 2. Obs. 7. p. 46.
(*b*) Diss. de plica Polon. §. 3.

ſcente ſemper cum pulſu febrili duro (qui mane naturalis erat) vexabatur. A parentibus tota vita plicoſis prognatus erat, ipſeque etiam ab infantia cirris in capite variæ figuræ ac longitudinis fœdatus, & per intervalla vaga arthritide vexatus erat. Data per bimeſtre ſub veſperam temperantia, mane vero & interdiu TR^a alcalino-martialis cum ſapone terebinthinato quater ad gtt. 30. Additum decoctum e lign. Guaj. rad. Acet. Liquirit. Sarſap. Turionib. Lupuli, H. Sapon. Cochlear. & Trifol. fibr. Interjecta quovis 5to die cathartica e rheo & manna: unde majore cirrorum intricatione procurata æger melius habere cœpit. Tum roborantia balſamicaque exhibita, & cirri forfice præciſi, queis ablatis uberrimæ ſquammulæ furfuraceæ in capite conſpectæ. Vix omnia ſymptomata deſiere, cum tumor glandulæ inguinalis cum dolore & febre occepit, qui emollientibus maturatus inciſusque materiam ichoroſam flaveſcentem fœtidam effudit, ſimulque crines convoluti ac viſcida materia infecti ex ulcere evolvebantur. Ulcus lege artis conſanatum, ægerque convaluit, relicta tamen plica ad pubem, quam abſcindere conſultum haud videbatur.

CURATIO.

I. INDICATIONES.

1. Miaſma plicoſum enervandum, expellendum.

2. Evolutio plicæ acceleranda, promovenda.

3. Symptomata mitiganda, abolenda.

4. Effectus in ſolidis fluidisque morboſi corrigendi.

5. Recidiva ulterior morbi præcavenda.

II. INDICATA.

A. PHARMACEUTICA.

1. *Cathartica*, niſi evidentia ſaburræ primas vias inſidentis indicia adſuerint, prorſus vitanda ſunt; quippe quæ materiam tubulos capillorum ſubire molientem introrſum revocent, quæ revulſa ſic in alias ſævit partes. Notavit id jam STARNIGELIUS (*a*) dicens: „ purgationibus uſitatis ſi illi (morbo) „ medeare, ægreſcit & exſuperat ma-

(*a*) l. c. §. 4.

„ gis, quod noxios humores nequeat
„ ſuperare purgatio, ſed commotos per
„ totum corpus diſpergat; tanto enim
„ dolore omnium deinceps membrorum
„ hac affecti peſte ardent, ut ad cru-
„ ciatus acerbitatem nihil poſſit eſſe
„ acrius„. Et s. SCHULTZIUS (*a*) teſtatur ab hoc remediornm genere alios cœcos, claudos alios fieri, alios alio modo graviter affici. Perinde teſtatur H. SAXONIA (*b*), relatum ſibi ab Illuſt. Capitaneo Polono J. de OCIESNO, fuiſſe multos ab ſe cœcos viſos, quosdam claudos, alios aliter affectos, quod principio plicæ cathartica adhibuerint. Interea tamen, ſi alvus admodum eſt adſtricta, leniſſima eccoprotica non ſunt negligenda.

2. *Diaphoretica* vero, queis ſimul vis ſanguinem depurandi ineſt, eximio cum effectu dari ſolent: his enim miaſma promptius in crinium tubulos & vaſa cutis exhalantia expellitur. Hinc

a) *Lignorum decoctum* utile deprehendit STABEL (*c*): neque minus utilia fuere

(*a*) l. c. p. 169.
(*b*) l. c.
(*c*) Vide cur. chir. n. 2. b) hiſt. 1.

b) *Antimoniata* (*a*), ut regulus medicinalis, TR^a ♁^ii 🜿ſata, &c. Perinde

c) *Serpentaria Virginiana* eſt hic efficax, de qua J. E. HERMANNUS (*b*) „ remediis (ait) enarratis palmam præ-
„ ripuit ſemper radix ſerpentariæ Virgin.
„ vel in ♁^e, Eſſentia aut Extracto da-
„ ta. . . Multoties cum viderem effe-
„ ctum plane ſingularem in malignis pur-
„ pura, variolis, morbillis, periculum
„ feci, quid ſit præſtitura in plicoſo
„ morbo. . . . Exhibuique eam mix-
„ tam cum ♁^e Bezoar. LUDOVIC. aut
„ cum ♁^e ad ſtrumas Auguſtano ter vel
„ bis de die, & fere nunquam fruſtra-
„ neus fuit effectus. Non ſolum . . .
„ faciliorem plicæ exitum procuravit,
„ ſed etiam diaphoreſin auxit. . . Me-
„ liorem tamen ſucceſſum expertus ſum
„ a data in ♁^is forma, quam in eſſen-
„ tia & extracto. . . Doſis ſumma eſt
„ ſcrupulus. Nolo quidem hanc radicem
„ titulo ſpecifici contra Plicam inſignire,
„ commendo tamen ulteriori & circum-
„ ſpectæ experientiæ Medicorum, qui
„ occaſionem habent tractandi hunc mor-

(*a*) Ibidem.
(*b*) l. c. Epicriſ. ad caſ. 3. n. 13 p. 182. ſq.

„ bum, hujus remedii uſum. Confirmabunt forſan meam ſententiam, nullum adhuc nobis cognitum eſſe remedium, majoribus viribus contra Plicam inſtructum radice ſerpentariæ Virginianæ „.

3. *Specifica*, miaſma plicoſum domantia, etſi complura prolata ſint, nullum eorum tamen hucusque medentium votis ſatisfecit. Horum vero in cenſum ab nonnullis relata ſunt ſequentia:

a) *Mercurius*. De hoc M. B. a BERNIZ (*a*) „ hoc (inquit) ſcio pro certo, & ſæpiſſime probavi, quod ☿ vulg. (qui alias morbum Gallicum curare ſolet) etiam in plica certiſſimum ſit remedium, & qui illam infallibiliter per ſalivationem expellere ſolet; niſi alia ſint impedimenta & cauſa aliqua conjuncta „. Idem ſe quotidiana experientia edoctum eſſe de inunctione mercuriali ait HERCULES SAXONIA (*b*). Non indignum eſt literis, quod refert J. D. GOHLIUS (*c*): „ no-

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 2. obſ. 52. Sch.

(*b*) Prax. med. panth. L. 10. c. 7.

(*c*) Act. med. Berolin. Dec. 1. Vol. 4. art. 3. p. 71. ſq.

„ bilis Polonus juvenis patriam mutans,
„ ex plica in peregrino demum aere
„ contracta & non ſatis procedente, ar-
„ tuum rheumatiſmis variis, præſertim
„ oculorum doloribus, vertigine, glan-
„ dularumque inguinalium & ſubaxilla-
„ rium intumeſcentiis laborans A. 1717.
„ aquas minerales potabat Freyen-
„ waldenſes, balneaque ibidem uſurpa-
„ bat per dimidium circ. menſem, nec,
„ quod ſperabat, ſymptomatum prædi-
„ ctorum remiſſionem obtinere poterat.
„ Anno autem . . . 1718. . . . ſaliva-
„ tioni cum panacæa ☿ li . . inſtituen-
„ dæ ſubjicitur: qua abſoluta nullis re-
„ mediis laxantibus, in quacunque etiam
„ adhibita fuerint formula, ne quidem
„ per clyſteres ordinarios alvus ipſi mo-
„ veri potuit; ſoli demum clyſteres ſal-
„ ſi id obtinuerunt, ubi dein dejecit
„ conſpicuam quantitatem crinium con-
„ volutorum, referentium illam lanugi-
„ nem, qua bombycum capſæ ſericeæ
„ ovales, intra quas ſe abſcondere ſo-
„ lent nentes, obſitæ ſunt. Huic ita
„ feliciter transactæ curæ menſe Jul.
„ A. 1718. denuo ſubjunxit uſum bal-
„ neorum Freyenwaldenſium, ex com-
„ mendatis ſpecificis ſimul paratorum,
„ nimirum Lycopodio, branca urſina,

„ agrimonia, additis florib. Chamom. „ Sambuc. Melilot. & herba Malvæ. „ Poſt hæc bene valet„. Interea tamen ſæpenumero Mercurius hoc in morbo non modo nil profecit, ſed obfuit etiam, velut in STABELII (*a*) femina, & FISCHERUS (*b*) „ ipſe obſervavi (ait), & ſancte fateri poſſum, „ quod hæc medicamenta (ſc. cathar- „ tica, diaphoretica, ☿*lia*) plus no- „ ceant, quam proſint„ Hinc HERMANUS (*c*) iis „ (inquit), qui venerea „ lue infecti labe hac ſimul laborant, „ ſalivatio ☿*lis* caute inſtituta valde eſt „ proficua. Alias per iſtam multa mala „ e. gr. artuum dolores, translationesque „ materiæ ad partes externas & inter- „ nas, eſſe ſubſecuta memini „. VICAT (*d*) tamen non reformidavit ☿*lia*, modo ptyaliſmum non moverent; & ideo ☿*em* alterantem adhibuit.

b) *Muſcus terreſtris* ſeu *Lycopodium clavatum* LINNÆI, quod Polonis etiam *Cingularia* & *Plicaria* (a virtute ejus

(*a*) Vide cur chir. n. 2. b) hiſt, 1.
(*b*) l. c. Tent. 14. p. 403.
(*c*) l. c. epicr n. 19. p. 186.
(*d*) l. c. p. 62.

Plicæ evolutionem promovente) audit. Hujus vegetabilis uſurpandi in Polonia, teſte M. B. a BERNIZ (*a*) adverſus Plicam iſthæc obſervatur methodus: „ accipiunt . . . muſcum, . . . poſtea
„ infundunt decocto Brancæ urſinæ,
„ prius optime calefacto, & poſt unam
„ vel alteram leniſſimam adhuc ebulli-
„ tionem adjiciunt aliquid fermenti, il-
„ ludque reponunt poſtea ad fermen-
„ tandum prope fornacem. Alii vero
„ accipiunt Muſcum illum diviſum & craſ-
„ ſiuſcule diſſectum, & folia Brancæ ur-
„ ſinæ, etiam prius ſiccata, part. æqual.
„ coquunt iſta cum aquæ ſimpl. fluviat.
„ ſ. q. tamdiu, donec decoctum ſatura-
„ te flavum colorem contrahat. Deco-
„ cto prius colato admiſcent aliquid fer-
„ menti vulgaris acidi, (panis ſiliginei
„ a piſtore deſumpti) vel fermentum
„ huic uſui deſtinatum, nempe ex ♁e
„ Brancæ urſinæ, pane bis cocto, &
„ fermento ordinario parato, reponunt-
„ que illud ad fornacem per dies ali-
„ quot, donec ſaporem quaſi acidiu-
„ ſculum contraxerit. Et ita decoctum
„ huic morbo idoneum eſt. Pro uſu or-

(*a*) l. c. p 94.

„ dinario ad tabulam, & ad juſcula,
„ ita & ad alia fercula, mediante hoc
„ decocto paranda, ſc. capones, galli-
„ nas, vitulinam carnem, & ſimilia,
„ qualia in tabulis Nobilium hic in Po-
„ lonia quotidie (non ingrati ſaporis)
„ apponi ſolent. Hoc decoctum dicto
„ modo absque Plicaria . . . paratur,
„ ex hac ratione, quoniam apud mul-
„ tos aliquando vomitus excitare ſolet.
„ Hi vero, qui plica laborant, eligunt
„ ſibi decoctum primum e plicaria para-
„ tum, & illud ita per ſe, aut cum ovis
„ rec. in forma juſculi quotidie bibunt,
„ & comedunt„.

c) *Cuſcutam* quoque multis in uſu eſſe narrat C. F. SCHULZIUS (*a*), licet de ejus virtute ſua ſibi e praxi nihil dum conſtaret. Quod autem *hæmatites* teſte eodem ab ETTMÜLLERO in plica admodum laudetur, in genuinis ETTMÜLLERI Opp. nihil reperio. Credibile eſt, SCHULZIO ſuppoſititia hujus Auctoris opera, quæ olim exierant, ad manum fuiſſe.

(*a*) l. c. §. 45.

B. CHIRURGICA.

1. *Sanguinis missio* haud secus, ac purgantia, ob eandem prorsus causam, cane pejus & angue morbi initio vitanda est, teste s. SCHULTZIO (*a*) inquiente: „ quibus hactenus in principio morbi V^æ^ S^o^ instituta est, „ plus obfuit, quam profuit. Ill. matronam Polonam, cui vena cubiti „ in principio secta est, confestim sævissimos in eo brachio dolores cum „ tumore œdematoso passam esse: pari „ modo in pedibus vena aperta dolores „ acerbissimos in utroque crure ad malleolos excitatos fuisse testatur HERCUL. SAXONIA (*b*) quibus nos „ etiam libenter suffragamur, plurimis „ plica laborantibus id affirmantibus, „ propriaque experientia edocti „. Non tamen nunquam V^æ^ S^ui^ locus est; nam monente G. E. HERRMANNO (*c*) ab ea tantummodo „ cavendum est, „ cum jam adsunt signa manifesta (plicæ), & natura actu separatorio jam

(*a*) l. c. p. 196.
(*b*) l. c.
(*c*) l. c. n. 3. p. 179.

„ est occupata: in plethoricis tamen,
„ & missionibus sanguinis assvetis cor-
„ poribus, primis statim diebus in con-
„ veniente quantitate administrata neces-
„ saria est in pede ut plurimum„. Hinc scopo prophylactico præter motum corporis & cathartica etiam V*æ* S*es* (*a*) & cucurbitas ter quaterve quotannis (*b*) utiles esse ait.

2. *Topica* forma *fotus*, *litus*, *lavamentive*, quæ parti crinitæ, in qua plicæ evolutio speratur, admota, ejus eruptionem accelerant, promoventque: id quod specifica vi præstat.

a) *Branca ursina*, teste s. SCHULTZIO (*c*), decocta, ac pro lavamento usurpata. „ Verum ut branca ursina (ait
„ idem) decocta externe in ablutione
„ capitis prodesse dicitur, ita contra ea
„ potus ex illa paratus, & juscula in-
„ terne usurpata admodum nocere plu-
„ rimi confirmant„. Longe vero effi-
„ cacius est hos in usus

b) *Lycopodium clavatum*, ut cui vere specifica vis insit plicam latentem

(*a*) Ibid. n. 15. p. 184.
(*b*) Ibid. n. 4 p. 180.
(*c*) l. c. p. 196. sq.

evolvendi. Namque ut refert BERNIZIUS (*a*) ejus „ decocto, prius calefacto, & aliquando ad majorem po„ tentiam seu virtutem secunda vice „ cum recente musco (terrestri, seu Ly„ copodio) incocto instar lixivii, & „ obscuri rubei coloris, lavant (Polo„ ni) caput bis in septimana, nullo am„ plius adhibito pectine, donec crines „ sese complicare incipiant: unde ne„ cessario progressu temporis ita sese in„ tricare solent, ut tunc quasi serpen„ tes penduli circa caput pendeant in„ star Gorgonei aspectu horrendo, & „ sic credunt plicam jam perfectam in „ crinibus. Leopoli quidam presbyter „ Græcus & plicatus affirmabat mihi qua„ si juramento, se mediante hoc deco„ cto plusquam 100 personas utriusque „ sexus dicto modo curasse. . . Ill. D. „ TARLOWA Capitanea vidua, quæ mul„ tis annis fuit plicata, tandem unguento „ aliquo ex Musco nostro terrestri repen„ te confecto . . . feliciter fuit restituta. „ Arcanum seu uguentum hoc accepe„ rat a M. D. ZIROWSKI ante annos „ 32, ubi spatio hujus temporis interea,

(*a*) l. c.

„ ut ipſa retulit, aliquot centenos cu-
„ ravit, & ab iſta plica liberavit. Un-
„ guentum, quod . . . A. CNOEFFE-
„ LIUS . . . ab ipſa vidua tanquam rem
„ ſingularem acceperat, mihi quoque
„ conceſſit. Paratur tali modo:

„ ℞. Herb. Plicariæ (ſc. muſci terr. & repent.) &
Radic. Bryoniæ part. æqual.
Adipis Erinacei q. ſ. ex his tri-
„ bus optime commixtis in vaſe vitreo
„ bene obturato coquuntur in B. M. per
„ horam, & f. ſ. a. unguentum. Cum
„ quo radices capillitii in capite com-
„ plicati, & loca affecta, maxime ar-
„ ticuli dolentes, bis in die inungeban-
„ tur naturæ; & hæc tota erat cura. . .
„ Oleum ſeu pinguedo, ex Erinaceo,
„ quod ad confectionem unguenti hujus
„ requiritur, parare ſolebat in olla no-
„ va foraminata igne circulari per de-
„ ſcenſum, more conſueto „. Com-
mendavit poſtea decoctum Lycopodii P. G. SPERLINGIUS (*a*), quo ipſo, uti & unguento paulo ante dicto ſummo cum fructu ſuis, in ægris uſus eſt D.

(*a*) Diſſ. de plica Polon. (Witemb. 1702.) §. 28.

FISCHERUS (*a*). Pari cum utilitate Lycopodium in cerevisia vel aqua decoctum bis vel ter de die capiti applicuit HERRMANNUS (*b*), eoque efficacius agere observavit, „ si leni frictione cum spon-„ gia fomento hoc imbuta sæpe institu-„ ta secundetur. Incredibilis ferme est „ (inquit) transsudatio miasmatis & „ spasmorum sopitio post hanc simpli-„ cem operationem „. Non abs re ergo erit, remedii hujus energiam aliquot adductis casibus reddere spectatiorem, quemadmodum eam variis in ægris G. F. STABEL (*c*) est expertus. Prima est rustica 20 annor. robusta ac semper ante sana, e matre plicosa nata, quæ sine manifesta causa toto anno dolore capitis lancinante, artuumque continuo vexata, deinde in faucibus ac naribus sordida ulcuscula contraxit, manus vero pedesque nodi ac tubercula dura passim insedere. Usurpatis autem in & externe a balneatore ☿ *libus* remediis ulcera adeo invaluere, ut paucis post diebus non mo-

---

(*a*) Anal. Wrat. Tent. 14. A. 1720. Octob. cl. 2. art. 3. §. 3. p. 403.
(*b*) l. c. n. 14. p. 184.
(*c*) l. c. Obs. 7. hist. 1.

do oſſa ſquammoſa narium, ſed uvula etiam, conſumpta ſint, ac cetera etiam ſymptomata increverint. Omni pene nocte ſudor viſcidus e capite manabat, aderat phantaſia corrupta, appetitus depravatus, ungues ſcabri, &c. Datis itaque interne ſanguinem depurantibus, incidentibus, perſpirationem alvumque liberam ſervantibus, externe admota aqua viridis HARTM. ulceribus, & caput bis terve lotum Lycopodii decocto totum calide, a quo brevi & plica evoluta eſt, & ſymptomatis omnibus abolitis ægra convaluit. Altera (*a*) 40 annor. erat, melancholica primum, tum maniaca effecta, cui cum poſt largam V. S. ad varia uterina ac antimaniaca furor aliaque ſymptomata augerentur, oborta plicæ latentis ſuſpicione calidum Lycopodii decoctum capiti crebro applicabatur: unde plica brevi poſt totum in caput evoluta femina prorſus convaluit. Tertius (*b*) pannifex fuit ad 30 annos natus, qui biennio gravem capitis dolorem, nulli remedio cedentem, patiebatur cum lippitudine & humoribus oculorum adeo

(*a*) Ibid. Obſ. 9. hiſt. 5.
(*b*) Ibid. hiſt. 7.

tur-

turbidis, ut objecta velut per nigrum pannum cernens ægre distingueret Ad varia, in ejusmodi malis utilia, adhibita cum morbus cresceret, plicæque latentis perinde suspicionem moveret, decoctum idem in usum est vocatum, a quo intra paucos dies plica oborta, magnamque successive in molem excrescens, cephalæam sustulit; oculorum autem malum nonnisi ad cataplasma e fl. Samb. mica panis, & cerevisia paratum, sæpeque fronti calide admotum, ac varia alia usurpata sensim minuebatur. Quartus (*a*) fuit chirurgus ad 30 annos habens, qui post contractum in Polonia contagium plicæ in dolores capitis cum glutinosis ejusdem sudoribus incidit: his paulo post a refrigerato corpore accessit noctu horror & præcordiorum angustia, ac mox tussis cum copiosa sanguinis floridi expectoratione, prostratione virium, corporisque consumptione. Frustra variis adversus hæc usurpatis tandem linimentum e Lycopodio capiti calide sæpius illitum ingentem in capite toto plicam excitavit, pristinamque ægro sanitatem reddidit; solo appetitu depravato in per-

---

(*a*) Ibid. histor. 9.

petuum superstite ad vinum & ♁ quotidie largiter hauriendum. Quinta (*a*) est puella circ. octennis in confiniis Poloniæ dysenteriam sex septimanis passa, ad consueta remedia contumacem, vires corpusque consumentem, usque dum vino calido ac lycopodii unguento capiti adhibito plica oborta sanitatem pristinam reddidit. Idem Lycopodii erat effectus in aliis quoque binis (*b*) plicosis: & quicunque opera FISCHERI (*c*) sanati sunt, lycopodii decocto & unguento capiti adhibito exitum hunc debuerunt. VICAT (*d*) quoque Lycopodium specifica vi ad eruptionem plicæ promovendam præditum esse propria experientia didicit. Præmisit tamen ejus applicationi fomenta emollientia (ex alth. malv. parietar. &c.), cum admistis leniter epispasticis (ut est branca urs. bryonia, &c.), ut & vias laxaret materiæ morbosæ, & eandem ad tubulos capillorum quantocyus alliceret(*e*), ne diutius alibi morata partem organicam pessumdaret. Neque improbabile

---

(*a*) Ibid. hist. 10.
(*b*) Vide n. sq. hist. 4 11.
(*c*) Vide sympt. proph. A. n. 9. genes. plicæ B.
(*d*) l. c. p. 57. sq.
(*e*) Ibidem p. 54. 62.

eſt, balneum e Lycopodio fuiſſe paratum, de quo D. SENNERTUS (*a*) meminit: „ Comes (inquiens) NIC. SAPIEHA „ mihi retulit, ſibi notum fuiſſe in Polo„ nia ruſticum, qui hoc morbo laboran„ tes balneo curabat, cujus uſu primis „ 7 diebus ægri plane hirſuti toto cor„ pore evadebant, pilis undique erum„ pentibus, qui ejusdem balnei uſu ad„ huc 7 diebus continuato iterum deci„ debant, atque ita ægri ſanitatem re„ cuperabant „.

3. *Ablatio plicæ* utrum tuto fiat, diſceptatum fuit. Plerique id vetant graviſſime; eo quod funeſtiſſima poſt ſe mala operatio hæc trahere eſt viſa. Contra vero alii negant quidquam noxæ inde emergere. Utraque pars ad experientiam provocat: audienda ergo utraque, ac primum quidem poſterior. H. SAXONIA (*b*) „nobilem (inquit) Roxo„ lanum hoc affectu laborantem . . . præ„ ciſa manibus propriis plica ſumma cum „ felicitate . . . ſanavimus „. Perinde J. G. H. KRAMERUS (*c*) „ plicam (in-

(*a*) l. c.
(*b*) de plica 4° Patav. 1600, C. 1. p. 12.
(*c*) Commerc. Nor. T. 2. A. 1732. Hebd. 46. art. 5. p. 363.

„ quit) ſibi ex ſordido vivendi genere „ attrahunt Walachi, eam absque ullis „ etiam ſymptomatis manifeſtis ferunt, „ & exſcindunt ſæpius, at non liben- „ ter; cujus tamen rei ſucceſſum nulla „ ſanitatis pericula ſubſequuntur. Illud „ quoque ipſum & in equis Tranſylva- „ niæ fit, & obſervatur „. Apud MOC- „ CIUM (*a*) „ Comitiſſa, . . . mon- „ ſtroſo hoc capillitio donata (illud) „ ſæpiuſcule cervice tenus reſciderat „ alioquin utique id non factura, ſi noxam ſenſiſſet. Idem & in Canonico s. SCHUL-TZII (*b*), & in aliis plicoſis HÜNER-WOLFFII (*c*) ſine nocumento effe-ctum eſt. Verum quam parum his paucis eventibus innocuis fidendum ſit, lugubria aliorum in contrarium teſtimonia nos docent. „ Expertum eſt, in- „ quit STARNIGELIUS (*d*), qui ta- „ les faſciculos implicatorum perarcte in- „ ter ſe crinium deraſerint, eos oculis „ capi, aut defluxionibus ad alias partes „ corporis graviſſime torqueri „. Et

(*a*) In SCHENCKIO Obſ. med. L. I. Obſ. 13. §. ult.

(*b*) Vide ſympt. prophaſ. A. n. 9.

(*c*) Vide geneſ. plicæ A. n. 1. b).

(*d*) l. c. §. 3.

vero ſi ſponte plica non ſemper innocue excidit, ut id ANHORNII (*a*) æger eſt expertus, quo magis a vi naturæ illata metuenda eſt noxa? Quam multifaria autem mala inde propullulent, variæ nobis obſervationes documento ſunt. C. H. ERNDTELIUS (*b*) „ vidit elegantiſſimam alias virginem nobilem in majori Polonia, quæ ex reſectione plicæ ſtrumoſum tumorem paſſa fuit in crure ſiniſtro tanta cum deformitate, ut hoc in ingentiſſimum tumorem extenſo elephantis potius, quam hominis, tibiam referret „. C. F. DANIEL (*c*) meminit matronæ Sileſiæ ad limites Poloniæ degentis, 40 annor. quæ teneræ ætatis achoribus nonniſi anno vitæ 17mo, ubi menſes erupere, inordinati quidem ſemper ac doloroſi, & leucorrhœam ſemper poſt ſe relinquentes, ſenſim ſuperatis, anno ætatis viceſimo poſt valida purgantia in hæmorrhoides, fluentes primum, tum cœcas ac admodum ſemper mucoſas incidit. Ubi vero inter varia

(*a*) Vide progn. n. 3.
(*b*) l. c. p. 159.
(*c*) Beyträge zur medic. Gelehrſamk. 3. Th. II. Abhandl. p. 205. ſqq.

incommoda 30 vitæ annum ſuperavit, plicam inſignem acquiſivit, quam ultra biennium citra notabiles moleſtias geſtavit: fœditatis vero hujus pertæſa, poſt curam primum ſalivatoriam inſtitutam, poſtea curam aſſatoriam dictam per 8 hebdomades ſuſtinuit, ſub qua non niſi carne vitulina aſſa & pane bis cocto veſcebatur, ſimulque meracum decoctum cum ♁ 10 bibit, ſæpe V. S. inſtituit, hirudines, & valida cathartica in uſum vocavit. Poſtea plicam abſcidit. Sed non impune id factum; nam vehemens ac fere continua cephalæa, & contumax alvi adſtrictio cum doloribus magnis colicis ſucceſſit, quam nonniſi cathartica & enemata, plerumque iteranda, ſolvebant, nec niſi paucum ſtercus cum muci, gelatinam C. C. per omnia referentis, copia eliciebant: quo facto aliquod levamen ad paucos dies eſt ſecutum. Status hic aliquot annos duravit cum anorexia, debilitate, pallore, extenuatione, cum metu hecticæ ſuperventuræ. Idem hic Auctor (*a*) vidit Judæam poſt plicam igne & unguentis deſtructam, quam aliquot prius annis

---

(*a*) Ibidem in Schol. §. 8. p. 212.

geſtavit, in paralyſin artuum, maniam, largasque uteri hæmorrhagias incidiſſe. J. N. BINNINGERUS (*a*) narrat feminam quamdam poſt reſectam plicam, univerſum capillitium obtinentem cum pediculorum copia, in mentis imbecillitatem inſignem ac difficulter curandam incidiſſe. C. H. ERNDTELIUS (*b*) cum Grodnam appuliſſet, ingentem hominum a plica abſciſſa excæcatorum vim ibi conſpexit. Sic & S. SCHULTZIUS (*c*) teſtatur, notos ſibi fuiſſe quosdam „ qui poſt abſciſſionem cirro„ rum ad tempus viſu privati fuerint, „ & dolores graviores artuum & capi„ tis inde retulerint„. Haud ſecius res cecidit mulieri BALDINGERI (*d*). G. C. P. ab HARTENFELS (*e*) vidit religioſum poſt abſciſſam ſibi plicam in lethalem 7 dierum maniam incidiſſe, nihil binis V. S. aliisque remediis opitulantibus; delirio tamen ante mortem remittente. Perinde vetulæ intra triduum poſt abſciſ-

---

(*a*) Obſ. & cur. med. Cent. 3. Obſ. 13.
(*b*) Miſc. nat. cur. Cent. 10. app. p. 475.
(*c*) l. c. p. 195.
(*d*) Neu. Magaz. für Aerzte 3 St. p. 203.
(*e*) Miſc. nat. cur. Cent. 1. Obſ. 35.

ſam plicam exſtinctæ MOCCIUS (*a*) meminit. Et „ Judæo e plica Polonica
„ laboranti incautus rudisque barbæ tonſor eandem præſcindens amauroſin,
„ delirium, apoplexiam, mortem in-
„ duxit„ inquit J. J. NEUHOLD (*b*).
Analogam cataſtrophen refert J. HELLWIGIUS (*c*): „ A. C. 1653. cum Ra-
„ tisbonæ tempore comitiorum Imperii
„ variolæ graſſarentur, inter alios etiam
„ juvenes duo natione Poloni fratres
„ uterini uno ſimul fere tempore ægro-
„ tabant variolis, amboque plica Polo-
„ nica a juventute afficiebantur. Me-
„ dicus quidam in curam accerſitus in
„ principio ſtatim præcepit majori natu,
„ pro liberiori fuliginum febrilium tran-
„ ſpiratione ac variolarum tranſitu ca-
„ pillos omnes detondi, ſimul ac illos
„ cirros, qui Plica . . . Polonica in-
„ fecti fuerant; quo facto æger ſtatim
„ ſanguinem ex capillitio fluentem ſen-
„ ſit, & cum inſigni virium animalium
„ & naturalium lapſu poſt paucos dies
„ mortem obiit „„ Apud STABELIUM (*d*) femina 24 annor. e matre

(*a*) l. c.
(*b*) Act. nat. cur. Vol. 3. app. p. 158.
(*c*) Obſ. phyſ. med. 37. p. 134.
(*d*) l. c. hiſtor. 8.

plicosa orta, sine manifesta causa in pleuritidem incidit primum lateris dextri quæ post V. S. in lævo brachio latus lævum, dextro relicto, invasit, ac post V. S. in brachio dextro aliaque interna remedia data in vomicam pulmonum, indeque in phthisin biennalem abiit, necquidquam adhibitis variis antiphthisicis: donec inopinato varii in capite cirri oborti, sensimque aucti ægrotæ sensim pristinam valetudinem reddidissent. Post annos circ. 12. plicæ ob phthiriasin molestam abscissæ brevi tumor dolens hypochondrii successit cum febre hectica, corporisque consumptione, quæ accedente diarrhœa colliquativa purulenta cum crebra sub situ erecto syncope tandem mortem attulit. Porro (*a*) „ cum . . . Bilicii
„ petechiales febres epidemice affligerent, miasma hoc contagiosum adoriebatur medicinæ practicum quemdam, qui breviter ante invasionem hujus febris plicam absciderat. Hic crudelissimis torquebatur capitis doloribus sine ulla remissione, quibus jungebatur delirium phreniticum; 3° die accedebat coma cum stertore, & tu-

(*a*) Ibid Obs. 11. histor. 12.

„ mor capitis: circa vesperam sparsim „ in collo & pectore quædam apparebant „ petechiæ, & hac in nocte exspiravit, „ capitis tumore post mortem mirum in „ modum adaucto, adeo ut triplo fere „ majus appareret „. Nec minoris momenti est casus sequens (*a*): pharmacopæus in Biala Poloniæ vico sanus sobriusque praxi medica occupatus, dum incautius quibuscunque in lectis somnum caperet, contagio contracto plicam illico in capite nactus est, sine ullo alio incommodo. Hanc exscidit; purgantiaque ac sanguinem depurantia usurpavit. Sed brevi post gravissimi capitis artuumque dolores adfuere, in manibus pedibusque nodi ac tubercula, in reliquis vero cutis locis ulcuscula orta sunt, accessit extenuatio, debilitasque. Tandem ossa evasere fragilia adeo, ut dum aliquando e lecto surgeret, ossa tibiæ ac fibulæ transversim frangerentur, unaque eorum extremitas supra alteram emineret: alio tempore dum manus labori admoveret, os scapulæ magno cum strepitu, ac si maxima vi esset confractum, dissiliit. Variis frustra tentatis mori de-

(*a*) Ibid. Obs. 8. hist. 2.

buit. Sed maxime omnium insignem casum Annales Wratisl. (*a*) memoriæ prodiderunt: Colonellus Germanus robustus ad 47 annos habens, in Lithvania aliquamdiu dolorem pedis lævi, podagram æmulantem, perpessus emplastrum ab alio podagrico sibi commendatum eidem admovit, initio quidem cum levamine; postea vero inter pedis pollicem digitumque ulcusculum enatum est, quod sensim tantopere invaluit ut pes sphacelosus amputari debuerit: quod cum die 25ta Decembr. 1717 peractum esset, vulnusque suo tempore sanationem non respueret, interea plica in capite apparuit, quam Chirurgus flocci pendens exscidit. Sed mense Sept. anni insequentis pristinum malum pedi alteri incubuit eodem cum eventu: namque enato inter pedis pollicem ac digitum, ut ante, ulcere, sensimque aucto & in sphacelum abeunte digiti pedis auferri debuere, at inutili opera, malo nihilominus ulterius usque adeo serpente, ut & alter hic pes die 2a Octobr. genu tenus ferro præcidi debuerit, cujus e vul-

---

(*a*) Tent. 6. A. 1718. Octob. Cl. 4. art. 13. §. 2. p. 1753. sq.

nere ne cochlear quidem ſanguinis effluxit. Vix octidui levamen inde æger ſenſit, cum ſphacelus genu quoque infecit, integra partium mollium fruſta ſummo cum fœtore ab oſſe excidebant, donec æger 29ª Octobr. exſpiravit. Ex his ergo ſatis liquet, quam exitioſum ſit hunc deformem hoſpitem ferro & ingratiis depellere: imo vero ne mutilatio quidem ejus impune ſemper fit, quod luculenta J. M. FEHRII (a) obſervatio teſtatur: juvencula militem vim parantem, falce leviter vulneratum ſubmovens ab eo duo vulnera alta in bregmate accepit, queis 4º die in ambitu pruritus acceſſit, aliaque non inſolita, ſed pauca & levia ſymptomata. Convaluit. Poſtea e loco olim vulnerato duo cirri villoſi enati ſunt, ſed poſt malignam febrem ſuperatam cum ceteris capillis rurſus defluxere absque ullo malo; ſed recreſcentibus capillis duorum priorum cirrorum in locum unus perinde villoſus ſuccrevit ad 3 fere ulnas, ut humum raderet. Quem ubi diu tuliſſet, tandem ½ ejus ulnam reſecat; ſed mox adfuit ingens capitis dolor, caligo oculorum,

(a) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 2. obſ. 1.

aurium tinnitus, & interdum quasi quædam paraphrenitis ob doloris vehementiam. Ter vena frontis secta, & crebræ capitis lotiones decocto Brancæ urs. ac Verbenæ (crescente denuo cirro) malum nonnihil mitigarunt; sed horrida ab aura tantopere denuo recruduit, ut exanni æstu & cephalæa fere insania sequeretur. Priori decocto additum Lycopodium cephalæam vix non sopivit, sed secuta est epiphora contumax ad mortem usque. Omnia vero hæc mala non aliunde, quam ab ipsa plica vel prorsus vel pro parte ablata, proficisci vel inde patet, quod ubi hæc ablata rediit, vel mutilata pristinam recuperavit mensuram, illa plerumque rursus dispareant, velut in viro HELLWIGII (*a*) aliquoties accidit. STABEL quoque tribus exemplis rem confirmat. Femina 36 annor. pluribus annis plicam capitis gestatam demum exscidit. Atrox primum capitis dolor, tum aliquot dierum phrenitis gravis eam invasit: facta V*æ* S*e* in brachio, deinde sub lingua, furor mitigatus quidem, at non prius ex toto cum ceteris desiit symptomatis, quoad plica capitis non

---

(*a*) Vide progn. n. 4. A.

rediit, qua sensim explicata femina iterum convaluit (*a*). Alia (*b*) quinquagenaria plethorica postquam integro fere anno summam maniam cum agrypnia, immani robore, insuetis motibus convulsivis, murmure ac borborygmis abdominis, &c. ad remedia consueta contumacem est perpessa, adhibito tandem 8 diebus capiti frequenter decocto lycopodii, plica in capite oborta sensimque aucta maniam iisdem gradibus mitigabat, sanaque facta mulier multos annos non ægrotavit. Ast ubi plicam præcidit, dolor acutissimus caput spinamque dorsi invadens cum phantasia depravata non prius desiit, quam plica recrevit. Porro (*c*) nobilis Polonus 30 annor. sanus robustusque, postquam plicam per dies vitæ gestatam exstirpasset, in plurium annorum cephalæam & arthritidem pessimam jam fixam jam vagam incidit fere continuam. Dato interne decocto e Sassafr. Sarsap. Lapatho acuto, externe admoto capiti decocto lycopodii; post 3 hebdomades cirrus sat insignis in ca-

(*a*) l. c. Obs. 9. hist. 3.
(*b*) Ibid. hist. 4.
(*c*) ibid. hist. 11.

pite renatus poſtea omnem ſenſim morbum abolevit. Denique D. SENNERTUS (*a*) „ novit militem ſenem, qui „ plicam in occipitio habebat, & de „ cauſa morbi interrogatus (nam Germanus erat de Thuringia ortus) reſpondebat, morbum hunc ſibi hæreditarium eſſe; matrem enim ſuam 7 „ plicas 2 ulnarum longitudine ad mortem usque habuiſſe. Idem referebat, cum in Ungaria militaſſet, & „ a Turcis captus fuiſſet, herum pro „ more gentis omnes pilos & una plicam abſcindi curaſſe, indeque ſe cœcum evaſiſſe. Cum vero per interpretem hero cœcitatis cauſam expoſuiſſet, & impetraſſet ab eo, ut pilos renaſci ſineret, viſum poſtea recuperaſſe „. Accidit vero etiam nonnullis, ut non mox abſciſſam plicam ſymptomata gravia excipiant, ſed velut ex induciis aliquo tempore hominum ſanum ſinant: verum tamen poſtea cum fœnore invadunt. Sic HERMANNI (*b*) vidua 36 annor. cum poſt exciſos cirros aliquot annis nil mali inde ſenſiſſet,

(*a*) l. c.
(*b*) l. c. caſu 3.

tandem tamen in arthritidem incidit: cumque præter sanguinis missionem ac lene purgans nulla admitteret remedia, plicæ reditum verita, demum ex obitu mariti curis ac mœrore accedentibus, incepit matutinis vomitibus ac dejectionibus crebris torminosis affligi: ad quintam autem vespertinam horror cum calore alternans, ructus, soda, sitis, tussis, somnus interruptus, pavoresque vexabant. His palpitatio cordis, dolores spinæ, ac sub sterno, in vertice sensus frigoris, in abdomine motus vehementiores pulsatorii, imminutaque appetentia, erant comites. Innumeris frustra tentatis, tandem curatio ad revocandam plicam instituta: quæ ubi rediit, decrescentibus malis ægra commode vixit. Huic simillimum casum (imo idem prorsus esse videtur, si rite conferas) præbet VICAT (*a*), nisi quod ægram e vestigio post abscissam plicam in rheumatismum incidisse notet. Perinde Wratislaviensibus Medicis (*b*) fuit „ oblata nobilis Polona, cui . . . ab„ scissa fuerat plica. Illa initio quidem

---

(*a*) l. c. p. 45.
(*b*) Hist. morb. Wratisl. A. 1700. p. m. 176.

„ non

„ non ſenſit notabile incommodum; poſt-
„ ea autem ſtrumam incurrit cum aneu-
„ ryſmate ſupra coſtas ſpurias lateris ſi-
„ niſtri „. Hæc, aliaque id genus, tri-
ſtia exempla videntes Medici perſpica-
ciores, plicam temere quidem exſcinden-
dam haud cenſuere, ſed tamen pericu-
lum duxerunt faciendum, num præpara-
to prius rite ægri corpore plicæ ablatio
tuto fieret? Non pauci tuto id ſic fieri
poſſe teſtati ſunt propria etiam experien-
tia. Sic A. STEGMANNUS (*a*) „ ex-
„ pertus (inquit) in tribus monſtroſe
„ plicatis didici, quod Plica corpore
„ rite purgato, & affectu lege artis cu-
„ rato, absque damno & vitæ periculo
„ cultro tonſorio abſcindi poſſit „. Pa-
riter B. SILVATICUS (*b*) in plicoſo
quodam „ præmiſſa diligentiſſima totius
„ purgatione, ubi primum capillos ad
„ radices complexos erumpere vidit,
„ plicam abſcidit, lixivio valido caput
„ lavit, tegumento ipſum ab aëris in-
„ clementia tutatus eſt, & ſanatus eſt
„ affectus „. Haud ſecius C. F. SCHUL-

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. obſ. 36.
(*b*) l. c.

ZIUS (*a*) refert in caſtris Saxonicis fuiſſe ad 80 milites tirones e Polonia ac Lithvania miſſos, qui plicam omnes geſtarunt. His principio exhibebantur diaphoretica per aliquot dies, poſtea loco hauſtus ſoporiferi porrigebatur largior hauſtus ſpiritus frumenti, quo ſopitis inter dormiendum plicæ lapidi plano impoſitæ lapide alio tam diu tundebantur, quoad a capite ſecederent, exciderentque, ne præciſæ viderentur fuiſſe, ſed quaſi ſponte excidiſſent. Nihil hinc ulli eorum noxæ accidit, nec poſtea, debita munditie obſervata, pexisque ſedulo capillis, unquam recrevit plica. Teſtatur quoque hic Auctor ſe perinde ſine ulla noxa compluribus ægris plicas exſcindi curaſſe, poſteaquam corpora eorum debite ad id præparaſſet. CARTHEUSERUS (*b*), quoque ad eorum, qui tuto plicam in corpore præparato abſcindi poſſe tuentur, ſententiam, relicta contraria, acceſſit, poſteaquam ex FROESEWITTIO legionis Polonicæ Medico intellexit, ab ipſo aliquoties plicam militibus fuiſſe ademptam citra

---

(*a*) l. c. §. 44.
(*b*) Libel. de morbis endemiis §. 7. p. 17.

valetudinis eorum detrimentum: nisi quod tres imprimis cautelas hanc in rem præcipiat, nimirum ut 1°) Plicæ evolutæ notabili tempore gestentur, ut materiam morbi ubertim in se recipiant; tum ut 2°) Abscissioni præmittantur eccoprotica, diluentia, sanguinem depurantia, diaphoretica, diuretica, & antiscorbutica: denique ne 3°) funditus plica exscindatur, sed ut radices ejus pollicem longæ relinquantur. Sed quorsum istud? Contrarium producam casum, quem 8 abhinc annis nobis Teplicio Cl. Vir J. MIKAN Chemiæ ac Botan. in Pragensi Univ. Prof. pro amicitia nostra perscripsit: ZIRL POTTENHEIMERINN 51 ann. corpore magno, temperamento ad phlegmaticum accedente, ante 11 annos in debilitatem incidit usque adeo, ut 5 annos lecto affixa esset; incredibiles primo anno sudores experiebatur, cum levamine quidem, sed tamen inde per quadriennium tremores, frigus, punctorii tota corporis peripheria dolores, arteriarum in omnibus extremis pulsationes superfuere. Anno secundo scarlatinam perpessa est. Anno morbi 4to Plica emicuit quadruplici radice, duplici anterius in ossibus bregmatis utrinque, duplici posterius ad futuram lambdoideam orta.

Anno 5to in thermis Carolinis, queis 16 hebdomades uſa eſt, convaluit. Radices adhuc ſolitariæ, parvæ, tandem in unam rurſus coivere plicam, quam ſeptennio geſtavit. Hæc 12a Junii abſciſſa ℥xiij. appendit, dum eam abſcinderem, nil ſenſit ægra, plica etiam transſciſſa nullum ploravit liquorem: at poſtero die enormis adfuit capitis dolor (ipſique capilli ſenſum doloris præ ſe ferebant), vertigo, debilitas, ut primi morbi recidivam pati videretur. Exhibui iterata ſæpe cathartica, aquam amaram, laxat. Vienn. dedi Ω Serpill. ⊖✱ aa. ℥ij. ∘°∘ ſtill. Caryoph. gtt. xij. pro litu capitis, & cataplaſma ex aqua vegeto-minerali cum mica panis: juſſi priorem Ω cum Sacch. ad gtt. xx ter de die ſumi. Interim ſemper pejus. Tandem juſſi capillos funditus abradi: & reconvaluit in integrum. Hæc ille. Eſtne igitur Plica ad modum cancri, ut ſi vel minima ejus rudimenta relicta fuerint, rurſus propullulet? Id vero mihi perquam mirum eſt viſum, Lycopodio nihil tribui a CARTHEUSERO, „quoniam examine chemico edoctus (inquit ille), ſcio plantam hanc viribus admodum exiguis inſtructam, adeoque tam refractario malo tollendo plane imparem eſſe„.

Dî meliora! Quotidiana experientia omnes hic furnos chemicos fubvertit: & quæfo cur Rheum, Opium, Cortex Peruv. eadem chemicis producta largiuntur, dum tamen toto cœlo difparatas vires in corpus ægri exferunt? Sed ad exfciffionem plicæ redeamus. In tanta fententiarum varietate appofite admodum ad rem s. SCHULTZIUS (*a*) notavit dicens: „ expurgata jam in totum corpo„ ris profunditate ipfæ plicæ fæpe fponte „ decidunt, & fi non, *fortaffe* tum Medico „ earum refectionem moliri liceret, mo„ do de materia non amplius in corpo„ re præfente certus effet. Hoc quam„ vis difficile fit, attamen Medico cun„ cta accurate pefitanti & fecundum ra„ tionem agenti haud impoffibile „. Sed numquid matrona DANIELIS (*b*) fatis expurgata, fatis dulcificata, fatis eventilata videri potuit? Et tamen exfciffio plicæ magno illi ftetit. Interea omnis hæc ambigua difceptatio me judice ita componi poteft: Scabies interdum tuto ope litus fugatur, alias non impune. Idem ergo de Plica eft; & quemadmo-

---

(*a*) l. c. p. 195.
(*b*) Vide fuperius p. 85.

dum male contenderent cum ii, qui ſcabiem ſemper ſolo litu ſine diſcrimine depelli poſſe ſtatuerent, quod aliquando bene id ceſſiſſe viderint, tum ii quoque, qui contrarium ob contrariam experientiam tuerentur: ita etiam male ii ſuæ doctrinæ conſulunt, qui Plicam vel tuto ſemper, vel nunquam ſine diſcrimine, ferro adimi poſſe putant. Profecto ſicut ſcabies, quæ a corpore puro per ſolum contagium aquiritur, tuto principio per litus fugatur, non autem vetus jam vel a cauſis internis orta: ita etiam de Plica tenendum eſt.

C. DIÆTETICA.

1. *Alimenta* medicatæ indolis ſunto; cavenda, quæ acrimoniam & cacochymiam fovent, augentque. Quod ſi tamen ad ea ægri appetitu depravato ferantur, moderate indulgenda, ne denegata paroxyſmum prophaſeos accerſant, ut e FISCHERO (*a*) vidimus. Ex STARNIGELII (*b*) relatione „ho-

(*a*) Vide ſympt. proph. A. n. 10.
(*b*) l. c. §. 7.

„ mines agreſtes . . . ad avertendum „ penitus morbum ex erinaceo . . . „ eſcam ſibi conficiunt; ſed ne hoc „ quidem tanti eſt „. Efficacior multo eſſe videtur caro viperarum, quam ad normam anguillarum coctam B. SILVATICUS (*a*) per 24 dies ſumma cum utilitate præbuit Comiti SAPIEHA. Et quid mirum eandem carnem in miaſmate plicæ demulcendo ac ſanguine depurando eſſe egregiam, quæ perinde in phthiſi, ſcabie peſſima, Lepra, &c. adeo eſt efficax?

2. *Frigus* humidum, aliaque, quæ perſpirationem imminuunt, ſunt vitanda.

3. *Contagii modi*, ut lecti, mitræ, potus ſuſpecti, balnea &c. queis plicoſos uſos fuiſſe prudens eſt metus, ſollicite ſunt fugiendi iis, quos plica vel ſponte vel arte ablata reliquit.

4. *Mundities* capitis capillorumque diligenter eſt conſervanda: pexio non negligenda.

(*a*) l. c.

EPISTOLA
LAURENTII STARNIGELII

Academiæ Zamoſcienſis Rector. & Eloquentiæ Prof. ad Acad. Patav. Profeſſores Medicos data A. 1599. d. ult. Octob. apud D. SENNERTUM l. c.

Excellentes & Magnifici Domini amici cariſſimi & obſervantiſſimi!

§. 1. Pro conjunctione ea, quæ nobis in ultima Sarmatia verſantibus propter optimarum artium commune vinculum cum Excell. & Magnif. D. V. intercedit, novellæ Zamoſcienſis Academiæ Rector ſcribendum eſſe duxi ad Excell. & Magn. D. V. vetuſtate quidem & præſtantia nobiliſſimæ Academiæ Patavinæ claros, eruditione tamen ac uſu majores & clariores. Cauſam autem ſcribendi attulit mihi novitas apud nos morbi & ſummæ ejus medendi difficultas. Peto, ut epiſtolam hanc meam & legant benevole, & lecta conſilium judiciumque ſuum amice perſcribant, qualem morbum exiſtiment, quæ præcepta dent, cujusmodi medicinam faciendam putent ejus depellendi. Res ita habet!

§. 2. Inter Ungariam & Pocutium provinciam Regni Poloniæ, quæ montibus, ex quibus fluvii complures erumpunt, inter ſe diſtinctæ ſunt, eveniebat, ut plerisque hominibus unus & alter cirrus excreſceret, cum vicinis ſibi crinibus, in ſe introrſus implicatus & denſus. Et tum quidem nulla re moleſtus erat. Nunc ſerpere cœpit is morbus, & late per totum regnum Poloniæ magno omnium malo, magnoque cruciatu divagatur.

§. 3. Infringit oſſa, laxat artus, vertebras eorum infeſtat, membra conglobat ac retorquet, gibbos efficit, pediculos fundit, caputque aliis atque aliis ſuccedentibus ita opplet, ut nequaquam purgari poſſit. Si cirri radantur, humor ille & virus in corpus relabitur, & affectos, ut ſupra ſcriptum eſt, torquet: caput, pedes, manus, omnes artus, omnes juncturas, omnes corporis partes exagitat. Expertum eſt, qui tales faſciculos implicatorum perarcte inter ſe crinium deraſerint, eos oculis capi, aut defluxibus ad alias partes corporis graviſſime torqueri.

§. 4. Purgationibus uſitatis ſi illi medeare, ægreſcit & exſuperat magis, quod noxios humores nequeat ſuperare pur-

gatio, ſed commotos per totum corpus diſpergat; tanto enim dolore omnium deinceps membrorum hac affecti peſte ardent, ut ad cruciatus acerbitatem nihil poſſit eſſe acrius.

§. 5. Maximam partem feminas invadit; viros etiam, qui Gallicum in morbum propendent. Eos etiam, qui porriginem capitis, quam vulgus tineam vocat, medicamentis repercutientibus repreſſerunt: præterea feminas, quæ menſtruis temporibus non ſatis purgantur. Quarum quædam, dum in ætate adoleſcentiore fluxum ſanguinis per nares, menſtruo modico, nimis profuſum identidem habuiſſent, ætate provectiore eo fluxu per nares ceſſante in ipſum morbum cirrorum delapſæ ſunt.

§. 6. Quidam, quamquam perrari, cum aliquot annis hoc genere morbi cruciati exagitatique fuiſſent, nec caput raſiſſent, vexationemque ejus omnem & pædorem & ſpurcitiem non ſine ſumma moleſtia & nauſea pene intolerabili pertuliſſent, tandem virulentis illis cirris decidentibus convaluere, maxima tamen pars perit.

§. 7. Quæſita ſunt & tentata varia remediorum genera, ſed nullum eſt ſatis idoneum adhuc repertum: quæſita etiam

vis & natura morbi, & caufa; fed ne de hac quidem etiamnum quidquam liquet. Homines agreftes erinacei difcerpti circumligatione relevari compererunt: & ad avertendum penitus morbum ex erinaceo ipfo efcam fibi conficiunt: fed ne hoc quidem tanti eft. Lotionem præterea fibi parant ex decoctione foliorum urfi brancæ, qua cum abluunt caput cirri, de quibus eft fupra fcriptum, erunpunt, magnaque vis pediculorum.

§. 8. Cum exhalatione fuliginofa, ex qua nafcuntur crines, communicat, videturque cum tinea affinitatem habere, atque cruciatu offium cum Gallica lue: cum phthiriafi redundatione vermium: cum arthritide artuum dolore: cum fpafmo contractione miferabili membrorum.

§. 9. Ut nihil aliud dicam, Excell. & Magnif. D. V. hoc in genere artis eruditi & fapientes facile colligent, quam neceffaria fit hæc deliberatio, & quanto beneficio ampliffimum regnum Poloniæ fibi obftringent, cum ejusmodi virofæ pefti, qua violentiffime divexatur, folerti fuo ingenio remedium præfens inveftigaverint, inventumque literis mandarint. Multi variarum medicinarum primi Auctores in perpetuitatis laude

vivunt, hujus medicinæ ab Excell. & Magniſ. D. V. inventæ gloria veſtra propria erit, vos illuſtrabit, & cum omni conſequentis poſteritatis ætate floreſcet. Exſpecto humaniſſimum reſponſum; ſed ſi minus, quam par eſt, neque verbis, quibus opus ſuit, morbi vim expreſſi, peto ignoſcant Excell. & Magniſ. D. V. homini alio artis in genere verſanti: adumbratio quædam hæc morbi eſt; interiora illius acri ingenii ſui acie Excell. & Magniſ. D. V. diſpiciant & contemplentur. Bene valere Excell. & M. D. V. opto Zamoſcii die ultima menſis Octobris Anno Domini M. D. XCIX.

SYLLABUS
AUCTORUM.

Errata				*Emendanda.*
Pag. 10.	lin. 27.	*cæs.*	lege	cas.
- - 20.	- - 4.	*fero*	- -	sero
- - -	- 10.	*meminire*	-	meminere
- - 26.	- 16 sq.	*tenum*	-	tenuem.

THESES.

I.

Vænæ ſectio ad catamenia ſuppreſſa evocanda non ſemper in pede facienda: ſunt caſus, ubi ei brachii phlebotomia præferri debet.

II.

Phlebotomia in pede non ſemper abortum cauſat; interdum eundem præcavet.

III.

Arthritidem inter & podagram eſſentiale diſcrimen non dum quiſquam docuit.

IV.

Hæreditarios morbos, quos nonnulli pernegant, dari multa ſunt, quæ probant.

V.

V.

Variolas veras bis eidem mortali accidere poſſe (etſi oppido raro), hodie non amplius dubitatur.

VI.

Morbi ab atra bile et perniciosiſſimi ſunt, et funditus nunquam curabiles.

VII.

Amauroſeos pathognomicum ſignum nullum adhuc innotuit.

VIII.

Hydrophobia etiam ſponte, citra morſum animalis rabidi, in homine naſci poteſt.

IX.

Datur etiam epilepſia critica, alios morbos ſolvens.

X.

Qui artem ſanandi conjecturalem vocant, non meminere, ceteras quoque ſcientias non prorſus eſſe ab eadem labe immunes.